DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

De

FLATULENTIA,

Quam

DEO T. O. M. CLEMENTISSIME FAVENTE,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, RELIQUA,

GRATIOSO AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
CONSENSU,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,

MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.

Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore ſuo,

omni Obſervantiæ cultu ætatem proſequendo,

PRO LICENTIA

Jura ac Privilegia Doctoralia Majorum more
aſſumendi,

Publicæ Eruditorum Diſquiſitioni ſubjiciet

JOH. ADAMUS KÜLBEL,

NERCHAV. MISN.

Die Octobr. A. MDCCVIII.

IN AUDITORIO MAJORI,

Horis ante- & pomeridianis.

HALÆ MAGDEB. LITERIS CHRIST. HENCKELII, ACAD. TYP.



PROOEMIUM.



SI usquam ullum eſt ſtudium, in quo *cauſarum verarum* juſta Notitia, ita diſtingvenda eſt, à vago & inutili ſcrutandi, & aliena quælibet affectandi, ſtudio, certè *Medica Pathologia* hoc eſſe debet; quæ non circa nudam otioſam *ſcientiam*, quæ propriè nihil dat, nihil adimit, ſed ſolùm agitatur, *ne nihil agatur*, occupata eſſe debet: verùm circa talem cognitionem, ejusmodi cauſarum, verſari, quæ partim ad *Practicum* uſum, partim ad *Prognoſin* verè rationalem, non quæ fieri *poſſunt*, ſed quæ *ſolent*, imò quæ etiam ita, & non aliter habenda ſunt, dum *Ars* in ea planè nihil poteſt, apprimè neceſſariæ ſunt ſcitu. Dolendum autem certè meritò eſt, quòd ita, non vulgaris ſolùm, ſed verius vulgata planè, & vulgo quaſi commendata, obſervetur, ita penitùs *contraria* ratio, ut nihil paſſim minùs in conſiderationem vocetur, quàm vel *remotiſſimæ* in ordine ad *influendum*, vel *generaliſſimæ*, in ordine ad *exiſtendum*, cauſæ: neglectis veris *propinquis*, talibus inquam, in quas jus aliquod pateat *Arti*, aut ad minimum *Conſilio* ejus, ſecundum ta-

les causas scitè instruendo. De *Machinula* Horodictica usuali, spiris elasticis, ex more, instructa, causas enumeraturus, si memoraret, constare illam è *spira* hujusmodi *elastica*, & *rotulis dentatis*; licet verum ita diceret, tamen ad *effectum* de quo est quæstio, nihilò plus dixisset, quàm si Machinam *assatoriam* pro *Horologio* commendâsset. Qui verò demum *causam* elasticitatis in illa spira, *materiam* rotularum & axium, allegaret, quamvis etiam hìc de rebus loqueretur, quæ necessariò sunt & esse debent; tamen nemo utique rationis rectæ compos, crediderit, quòd ab his *directè* pendeat, vel *dimensa* illa horarum *exquisita* distinctio, vel quidlibet tandem, quocunque modo, ad *Artificium*, sive *struendi* tale Organon, sive illô *utendi*, ullatenus utile, nedum necessarium. Cùm potiùs, & *proportio numeri* Dentium, & *ratio energiæ* Elateris, & *æquatio* hujus per Æquilibrum tanquam Antisacoma vibratile, & tandem energiæ Elateris etiam specialissima *temperies*, intentione & remissione ejus judiciosè *determinanda*, totam rem proximè absolvat. Et tamen interim quàm maxima adhuc differentia, firma & illibata maneat, inter *elaborandi* atque è debitis materiis *efformandi* hujusmodi operis habitum; & contrà, nudam ejus *directionem*, sive temporariam, aciculâ indicatoriâ, quoties aberrat, tantisper in ordinem reductâ: sive *Elateris* ipsius, magis solicitâ, si nonnihil remiserit, adductione spiræ, præstanda intensione: solicitâ dico, nempè repetitis tentaminibus tandem ad quæsitam *proportionem* perducendâ. Pariter profectò se res habet cum Medicis *causarum* enarrationibus. Siquidem alienissima profectò hìc est, & quod rectè moniti imperiti non possint non stupere, *materialis* habitus Corporis, tàm in *Mixtione*, quàm in *Structura* sui,

pro-

prolixa consideratio aut allegatio: Si nempè consideretur, quòd uterque horum habituum, directè *contrariô* modô sese habeat, ad illud, quod in ipso omninò fit: *corruptibilitati* inquam magis, quàm ulla propemodum alia res sub sole, subjacens, & *fragilitati* atque multiplicibus *impedimentis*, totus expositus existens. Dum interim nihilo seciùs tàm *corruptio* illa, quâm actualis *confractionis* aut *constipationis* eventus, adeò, velut ad miraculum, est rarus, ut pro hujus *propinquiore* causa, illos habitus allegare, propemodum rationem nudæ *contrarietatis* habeat. Neque verò etiam rationem Corporis quatenus *Vivum* est simpliciter, ad eventus ullos peculiares allegare sufficit; quandoquidem etiam hæc, (tardè tandem qualitercunque intellecta) ratio, tamen ita inter manus iterum perit, dum deinde vanæ illæ speculationes subſtituuntur, quasi ita fictus *vitalis motus*, non *possit*, nedum non *soleat* aliter lædi, quàm simplicibus *passivis*, *corporeis*, *directè agentibus*, impedimentis objectis. Cùm sola verior, (quamvis ita ipsa etiam adhuc *generalissima*) ratio, simpliciter magis versetur, in longè plurimis certè, & ante omnia maximè sonticis, Affectibus in respectu *continuandæ* Vitæ, & Corporis revera *conservandi*, non tàm solùm ad nudum *actum* vivendi, quàm ad diutinam ejus *continuationem*. E qua demum *destinatione*, non solùm simplices & *ordinarii*, varii, placidi successivi *Actus* prognascuntur: sed etiam multiplices *extraordinarii Conatus*, quàm maximè *activi*, & bonæ non solùm, sed etiam justæ, *intentionis*. Qui, demum per *accidentales* depravationes & impedimenta, perperam succedentes, nihil circumspectæ, magis inspectioni nudæ, quàm considerationi, glaucoma deinde objiciunt, ac si universum ne-

gotium penitùs, ab hujusmodi *accidentalibus*, intercedentibus demùm, causis, verè dependeret. Ne verò nimiùm prolixi simus, sed Prooemii limites potiùs observemus, nihil ampliùs nisi hoc unum dicemus, quod ingens exemplum alienarum hujusmodi speculationum occurrat etiam in Negotio, vulgò quidem non adeò operosè explicari solito; imò verò etiam passim admodùm alienis opinionibus ita in transversum acto, ut inde vero Practico usui non parva detrimenta immineant: interim, cùm certè & satis sæpè occurrat, & malè procedens, aut perperam tractatum, etiam formidabiles passim turbas concitet & efformet, veriorem omni modo æstimationem promerente, nempè FLATULENTIA, seu facili ad concipiendos flatus in intestinis, dispositione. Quam proinde rem minimè indignam duximus, quam SOLENNI SPECIMINE, ita suis causis restituamus, ut inde, & qualia quantaque incommoda ab hoc vitio oriri possint, & qualia iis remedia verè quadrare atque satisfacere possint, secundum veram illorum indolem apparere possit. Deum autem precamur, ut etiam in noxiæ hujus rei vera indole manifestanda, & justis adversus illam consiliis dirigendis, quæ vera sunt perspicuè monstrativis, clementer adesse velit.

§. I.

DE FLATULENTIA dicere dum aggredimur, etiam non exoratâ pace ineptorum Magistrorum, qui de minùs usitata vocabuli *terminatione* Crises elucubrare possent; magis de *acceptione* vocabuli extra scabella scholarum, præmittere quædam necesse habemus, ut ita constare possit, quô sensu nos ipsi illo uti in animum inducamus. Equidem

dem extra dubium collocamus, quod ubilibet, *Flatuum* nomine, intelligatur *halituosa elastica* seu *expansionibus* apta, & in hoc *aëreæ* indoli accedens, substantia. Quô quidem sensu alicubi ita usos esse Antiquos *Flatuum* vocabulô, ut posteri, pro suis acceptionibus plane de *spiritibus* sermonem fuisse interpretari necesse ducant, non ignotum est. Quousque verò etiam *Hippocrates*, *Flatuum* nomen atque efficaciam extendat, peculiari schedio, ex ejus lectione satis liquet: tantò magis autem è laboriosis subsidiis Posteritatis, quæ, partim ut *Autoritatem* velut infallibilem tanti Viri sequeretur, aut tueretur, partim proprias suas opiniones ita exprimeret, *Flatus* non solum *in omnibus partibus* Corporis, tum oboriri atque generari, tùm alibi natos eò deferri, tùm tanquam in transitu, ibi tamen insolescere & graviter tumultuari posse, laboriosis conceptibus adumbrare desudavit: vel planè in subsidium adhibitis phænomenis *Antliæ Pnevmaticæ*; nisi quòd non valde seria cuicunque conceptui hinc oriri possit applicatio, dum utique *defectus pressionis* Atmosphæræ, circà unum aliquod Membrum, ut ita *aër* sanguinis, ut loquuntur, ibi expandi, & turbas dare possit &c. *Hippocrates cordi* nusquam habuit. Has, inquam, ita vel *generaliores*, vel applicatione suppostitià demum *speciliores* redditas ipsô usu, Acceptiones, nos pro præsente nostro negotio nostras minimè facimus.

§. II.

Ubi nempè breviter iterum monere licuerit, ut duplicem circumstantiam concernentes animi adversiones adhibeantur; nempè 1.) circa *speculativas* ratiocinationes ipsius *Hippocratis*; 2.) circà explicationes, allegationes, & applicationes hujusmodi *rerum*, quæ magis ad *opiniones*, quàm ipsarum *rerum* nudam *commemorationem*, ita uti reverà sunt, occupantur. *Hippocratem* certè ipsum, in enarrandis *rebus* ut in se existere sentiuntur, rariùs incerta & valdè ambigua, rarissimè omnium *ficta*, communissimè autem *vera*, minimè tamen tamen eâdem frequentiâ *plena*, cum omnibus eò pertinentibus etiam

rea-

realibus circumstantiis, protulisse, pro certo habemus observaturos esse omnes, quicunque Praxi solidâ & solerti potiuntur. Mirificè autem diversam esse ejus dexteritatem plerisque in locis, ubi ad *causas* talium phænomενων constituendas animum applicat, possumus propemodum testes citare plerarumque recentiorum scholarum Medicarum sectatores: Nisi quòd *Sylvianorum* conceptuum fautoribus, inventum centum boum mactatione dignum, imò ex intimo adyto profectum videatur Oraculum illud, de μυρίοις ἄλλοις, seu modestiore Latinorum in diem loquendi modo, *sexcentis* aliis, nempè præter *Acidum, acrem, amarum, insipidum*, saporibus, seu *potestatibus* salinis: seponendo interim minus commodam, licet prudentem, boni Senis admonitionem, quod nihil horum vel metuendum sit, vel præter meritum insimulandum, nisi quod, in suo quodlibet genere, *excellat*, imò *excedat* Energiâ, ut sinter acria *acerrimum*, inter acida *acidissimum* &c. Quamlibet plerique etiam in hoc proposito ab Autore illo discrepent, & quidem, uti propemodum liquidò apparet, maximè è malè intellecta ejus mente; dum ille quidem planè rectissimè asserit, & quidem decentissimê, pro disputationis ibi adornatæ scopo quòd, si tales res in corpus irrumpant, *possint* illud utique variè afficere: minimè vero, quòd hi deinde sibi sumunt, ubicunque corpus malè affectum sentiatur, illud ab hujusmodi rebus ipsi evenisse putandum sit. Interim actuales certas atque veras corpori ingruentes læsiones, simpliciter magis à *bilis*, nequaquam tamen ita μυρίοις τρόποις versatili corruptelà, arcessit *Hippocrates*: quæ proinde his utique non æque placere potest; tantò minùs, cùm plerique *alcalicam* illam, aliqui etiam penitùs *balsamicam*, velint. Cæterùm etiam in hoc negotio vix quidquam usquam fingi possit, quin generale aliquod, & frequentissimè etiã violenter torquendum, vocabulum in *Hippocrate* conquiri possit, quod, dum ita sibi favere volunt, eô ipsô satis demonstratam esse sententiæ suæ, non tam ab Antiquitate *Autoritatem*, quàm directam

ctam atque ſolidam *veritatem*, credunt. Quam tamen rem omnes, quos ipſa Praxis veritates docet, meritò contemnunt.

§. III.

Ubi nempe ſecundum, quod antè innuimus, offendiculum, in eo utiquè conſiſtit, quòd paſſim hodie, licet tamen inter pauciores, mos ille diligatur, ut una vel altera *lacinia Hippocratica*, etiam ab antecedentibus aut ſubſequentibus, imò interdum alibi parallelis, locis, avulſa, correpta, perfrequenter etiam propriis interpretationibus deformata, non ſolùm contrà reliquam, ſed imprimis contrà *ſinceram* atque *conſtantem*, mentem Autoris, in medium producta, ſcenæ ſervire cogatur. Ubi nempe meritò, tam in *Hippocrate*, quàm multis aliis multorum ſcriptorum Autoribus, peritè utique atque ſolerter æſtimare convenit, imò decet potiùs & neceſſe eſt, quomodo occurrentes hìc illìc apud hos locutiones, ab iisdem ipſis, in reliqua ſua deductione, *in uſum* tractæ, & ipsâ re reliquæ ſuæ *proſecutionis*, retentæ, adeoque veræ illorum acceptioni plena *autoritas* conciliata, reperiatur. Siquidem aliàs, quæ citrà, imò contrà reliquum veluti *ſyſtema* totius talium Sententiæ, hìc illìc in eorum Scriptis, ita oberrant, decerpere, minimè quidem, hodiernis imprimis moribus, infrequens, nedum inſolitum, exiſtit: interim reverà talibus, ab ipſo Autore in nullum certum & conſtantem uſum deductis, imò vel planè cum reliqua Summa ipſius conceptuum pugnantibus, nihilominus pro *autoritate* aliis opinionibus adſtruenda uti velle, alibi quidem imprudens & abſurdum, alibi etiam impudens & malitioſum eſſe poſſe, monuit Dominus D. Præſes Schediaſmate *Vindiciarum Scriptorum ſuorum*.

§. IV.

Quemadmodum itaque ipſis his reſpectibus penitus inane ducimus, quibuslibet *Hippocratis*, aut quorumcunque tandem Autorum, fragmentis, temerè allegandis, & in ſenſum, ipſis vel nequaquam, vel non ſatis & ingenuè, cognitum aut receptum, detorquere: ita tanto minus horum quidquam

admittere placet, circa hoc Negotium, ubi non alienis hujusmodi, & quæ nobis minimè probantur, opinionibus, quorumcunque tandem Autorum, tempus impendere animo propositum est: sed potius simplicissimam, & maximè notam atque receptam *Flatuum* significationem simpliciter retinere: illorum inquam, qui in *abdomine* geniti, varium, illic *primò* & *primariò*, negotium facessunt; *consensu* tamen etiam hinc inde passim sese diffundente, seu potiùs quoquo modo exerente. Unde tàm de *Flatulentia* illa, imprimis ceu facilè & familiariter obvia suppositâ, *Sangvinis*, nec non *artuum*, & partium *porosarum*, (à qua etiam ante *ten Rhyne*, quasi novum hujus opinionis promachum, plures notum est *arthritica* pathemata arcessere) quàm à vulgo narratis discursationibus, *Vaporosorum halituum*, quos vulgus hominum in *Cerebro* & ore habet: quin etiam veris, sed rarioribus, *Vesicæ* & *Uteri*, *Flatibus*, hôc locô sermonem habere non recipimus.

§. V.

Flatus autem in *Abdomine* gigni soliti, sumunt originem suam maximè in ipsis *Intestinis*; ibique familiariter *sedem* etiam suam retinent, & progressum servant: rarioribus multò exemplis occupant etiam aliquando *cavitatem* ipsam *Abdominis*, eamque in ingentem molem distendunt. Hi ipsi, non tàm simpliciter *Intestina distendendo*, sed supervenienti acriori *contentioni* Intestinorum, indole suâ *elasticâ* obsistendo, autores passim sunt exquisitissimorum *dolorum*. Familiarissimè verò introducunt sensus illos *volutationum* strepentium seu *borborygmorum* in hisce partibus, *deorsum* tandem erumpentium: aliquando etiam *sursum* enitentium; non per invias illas vias, directè & simpliciter ad *Caput* & *Cerebrum*: benè verò per ipsum *Oesophagum* extrà Corpus, notô *Ructuum* nomine.

§. VI.

Hi tales *Flatus*, merentur omninò non malè hoc ipsum nomen, cùm non solùm *Ventositatum* more volutentur atque dis-

discurſent, ſed etiam *erumpant* paſſim è corpore. Utrum autem verè & ſimpliciter *aëreæ*, ſine omni tropo, ſint proſapiæ, non jam ſtatim tanquam præjudicialem formabìmus quæſtionem, ſed potius ipſi deductioni hoc reſervabimus: tantò magis, cùm etiam hæc ipſa conſideratio, Medicum uſum reverà ſimpliciter nullum habeat, ſed otioſa potius exiſtat: propemodum autem de hac materia multum in caſſum argutari, & quaſi litigare, vel propter malum exemplum cavendum videatur, ne Scopticis occaſio detur ad Sarcaſmum, tanquam Medici de omnibus rebus diſquirere, imò contendere deberent, unde hæc potiùs, in hoc quidem reſpectu, Phyſicis cancellis relinquimus. Ut autem ad rem dignioris conſiderationis aditum faciamus, reminiſcimur antè omnia iſtius peculiaris circumſtantiæ, quòd *Flatuum* proventus ſit negotium, non promiſcuè quibuslibet hominibus ita familiare, ut tanquam *indifferenter* in quoslibet cadat: & imprimis quidem ſine *externarum* quaſi *ſingularium* cauſarum, peculiari planè concurſu: ſed omninò ſatis *infrequens*: ad minimum in tali conditione atque conſtitutione, ut *opem Medicam* etiam mereantur, imò requirant. Quæ res ut tantò melius explicationi *Medico-Pathologicæ* quadret, è re erit ante omnia *hiſtoriam* Flatulentiæ commemorare; ut ita etiam, quid de ipſa verius exiſtimandum videatur, meliùs apparere poſſit, neque inconveniens conceptus de ipſa *indole* & moribus Affectus, præjudicium quaſi objiciat circà *ortum*, & qualescunque rationes reliquas, ejusdem.

§. VII.

Antè tamen, quàm propiùs rem totam aggrediamur, monendum utique ducimus, quòd non tàm ſimpliciter & abſolutè de *Flatibus*, quàm, ſecundum tenorem tituli, de *Flatulentia*, agere conſtituerimus: nempè *promptâ* ejusmodi, & *copioſâ* inſuper, non tantùm *Flatuum* geneſi: ſed etiam variis ulterioribus & pejoribus poſthàc conſecutionibus ceu Symptomatibus. Quandoquidem nempè non tàm *Flatûs* in genere, quàm *Symptomata* illorum, præcipuum negotium fa-

cessunt, atque ita considerationem Medicam exigunt: hæc verò nusquam etiam plura & ferociora, & qualia maximè hanc opem postulent, occurrunt, quàm in tali *insolescente* majore vehementia & *promptitudine proventùs* eorum.

§. VIII.

Consistit autem ita tanquam *historia* seu factum ipsum *Flatulentiæ*, in eo, quòd sic affecti, tùm per varias alias occasiones, tùm etiam veluti spontaneis quibusdam exacerbationibus, jam *volutatoriis* quibusdam *strepitibus* per Intestina, jam contumacioribus quasi *stasibus*, utrinque *tensionibus* & *contentionibus*, quin tandem etiam, ex harum pervicacia, *doloribus* penetrantibus, jam quasi volutatoriis & *tortilibus*, jam *tensivis*, veluti *ruptoriis*, afficiantur: donec tandem, vel in *leviore* maximè malo, iterum *subsideant* expansi illi vapores; vel, ut in *graviore* cumprimis malo, aliquà, sive sursum, sive deorsum, *erumpant*.

§. IX.

Obnoxii autem sunt *Flatulentiæ* in genere, quicunque ad *mutationes frigoris & caloris* admodum sensibiliores existunt. In specie verò, nempe ad magis jam quasi sonticam Flatuum *vehementiam*, *Fœminæ*; non tamen promiscuè omnes, sed illæ, quæ *Mensium* suorum justos successus sensim amittunt, aut certè sensibiles circà hoc errores experiri occipiunt. Porrò, quæ minùs circumspectæ diætæ, sed potiùs varii generis intemperantiæ, indulgent, circà *fructus horæos*, *dulcia mellita*, *pingvia*, *frixa*, panem à clibano calidum, *placentas*, & cerevisiariis *fecibus* fermentatas pastas &c. Tandem autem eveniunt etiam *Flatus*, multi, & magis magisque adsvetudini insolenti propiores, *Viris*; tùm vulgò *Hypochondriacis* dictis junioribus, tùm *Hæmorrhoidariis*, *Nephriticis*, *Ischiadicis*, *Podagricis*, annosioribus.

§. X.

Meritò verò distingvimus ulterius *Flatulentiam*, *torpidiorem* & quasi simpliciter *stupidiorem*, nempè parvi, aut pla-

planè nullius *ſenſus* compotem; quantumlibet etiam interim ſatis & *copioſam*, & *pertinacem*: à Flatulentia *vagâ* quaſi, & omninò varii *impetus*, adeoque *contentionibus* quibusdam peculiaribus ita addictam, ut modò, tanquam propter leviores etiam occaſiones, vehemens *contentio* concitetur, aut recrudeſcentibus ſubinde *contentionibus*, omninò verò Flatuum diſtenſioni ita ſupervenientibus, ſenſibilia inde exquiſita *dolorum* incommoda paſſim cooriantur.

§. XI.

Prior ſpecies, ſectatur imprimis *temperamentum*; uti vocant, *Phlegmaticum*; & tàm fluidarum, quàm ſolideſcentium partium, ab illarum commercio, *ſeroſiorem* diſpoſitionem. *Poſterior*, evenit magis *Sangvineæ*, cum *Cholerica* & *Melancholica* colludenti, indoli.

§. XII.

Quemadmodum autem *Flatulentia*, utique originem ſuam debet *Flatibus*; utpote nihil aliud exiſtens, niſi horum *inſolentior* atque *copioſior* concitatio: ita, dum de hac diſquirere ſuſcepimus, poſtulat propemodùm neceſſitas, ut etiam de illis aliqua dicamus, quæ ignorari non poſſunt, niſi totum negotium, ceu præjudiciò quôdam, obſcurum habere velimus. Erit itaque prima, imò primaria quæſtio, quomodo ipſi *Flatus* fiant, & unde originem ſuam ducant?

§. XIII.

Nemo autem à nobis expectet, ut nimiùm prolixè tanquam ex inſtituto harum cauſarum vulgò uſitatas præfigurationes, ſive κατὰ πόδα ſequamur, ſive etiam prolixè refellamus: imò ne quidem ſolùm nimiùm curioſè commemoremus. Suffecerit autem brevibus, totum, ut ſperamus, rei nervum, ita expedire, ut in quo maximè deficere vulgares opiniones nobis videantur, tantò melius dilucefcere poſſit. Aſſerimus nempè, quòd quicunque adhuc hac de re ſolennes quaſi quasdam & vulgò ita magis receptas ſententias propoſuerunt, communiſſimâ in hunc diem totius Phyſicæ atque

Medicæ Scholæ offenſione, ad nudum *materialem* habitum mentem dirigendo, non ſolùm negotio minùs ſatisfeciſſe videantur; ſed paſſim etiam ipſum ſuum propoſitum graviter fruſtrati ſint & in illo defecerint.

§. XIV.

Antè omnia nempè, dum perpetuò de *materiali* cauſa verba faciunt, obliviſcuntur, nullô rei meritô, certiſſimæ præcipuæ conditionis totius negotii, quæ eſt fiſtulæ Inteſtinorum *diſtenſio*. Hanc dum, veluti nihil ad rem pertinentem, quaſi ſuſque deque habent, faciunt quidem quod ſolenniter ſolent, ut nempe quibuslibet *materiis*, quodlibet liberum jus in Corpus humanum non ſolùm concedant: ſed nominatim, quaslibet *movendi* Energias, & temerè *inducendos motus* Corpori, materiis ita aſſerant: Summa interim in Corpus, quatenus *vivum* eſt, injuria; quam illud, nullâ aliâ re vindicat, quàm placidiſſimâ methodô, ad confundendas improvidas imputationes, *veritate*, & unicè conſtanti, Energiæ *Motuum ſuorum adverſùs omnis generis materias*, vividâ proſecutione.

§. XV.

Altera, quam deſignavimus, difficultas, verſatur etiam paſſim in *materiæ*, quam arguunt, impari prorſus ad hujusmodi effectus temperie, quàm ipſi tribuunt. Dum non ſolùm inde ab Antiquitate, ſed etiam inter ipſos propiores, ne Sylviô quidem & ſequacibus ejus in diverſum tendentib9, *materiam* pro Flatibus concitandis, accuſent *ſegnem*, *lentam*, *tenacem*; nempe ſic dictam Antiquis *pituitoſam*, *mucidam*, *ſpiſſam*: quæ firmiter ita Inteſtinis adhærendo, *Flatus* producat. Qui *rationem* deſiderat, quônam veroſimili modô talis materia hos effectus edere poſſe putanda ſit, Antiquiores quidem ipſos adire poterit, cùm nobis certè patientia deſit ad hujusmodi res memorandas: Illud autem monere forte ſuffecerit, quòd ipſi Veteres, non ita obſcurè digitum quaſi intendere videantur, ad *moleſtiæ* cujusdam interceſſionem, quàm talis materia *Inteſtinis*, imò in Inteſtinis ipſi *Naturæ*, ob-

objiciat. Recentiores autem, neque pauci, nec postremi, quærunt quidem etiam in *viscosa* hujusmodi *materia*, peculiarem planè causam *coagulantem*, nempe *aciditatem* vehementem; imò in hac ipsa etiam Energiam Intestinorum *stimulatricem*: Licet autem ita *torminosis* consecutionibus qualitercunque satisfacere videretur; quomodo tamen *Flatulentæ* simplici consecutioni prospiciant, etiam ab illis, tanquam ex instituto, expectandum. Interim iterum monemus, ut omninò etiam hujus rei *ratio* aliqua, observatio inquam, non perfunctoria, habeatur, quomodo hinc inde utrique horum, tàm Antiqui quàm Recentiores, passim respectent ad concurrentem in his negotiis IRRITATIONEM.

§. XVI.

Sicut autem plerique ita *materiarum* imprimis vitio *Flatulentiam* tribuuunt; ita moniti tamen etiam aliqui, *viarum* certè quoque, nempe partium, rationem habent, dum per argumenta convincuntur, esse hoc necessarium. Ne tamen monitis id debere videantur, sanè peculiares comminiscuntur rationes; nempe *Spasmis* affici volunt Intestina, unde ita densatis illorum tunicis, & consequenter poris, halituosa materia, dum per poros exspirare non possit, Intestinum ipsum dilatet, atque ita *Flatum* intùs formet. Inutile autem puto fuerit monere, quotuplices novæ difficultates ex hujusmodi præfiguratione resultent. In ipsos enim certè veluti sensus utique incurrunt *duæ* decumanæ; una, *physica*, dum ita simul præsupponitur, tàm *copiosam*, & quidem ita crassô modô *elastico-halituosam*, materiam, tanquam omni tempore, aut sit ita, quando etiam præter Ordinem Oeconomiæ Corporis, à certis extrinsecus admissis, in Intestinis versatur, *secundùm naturam*, per ipsam *porositatem* illam *Intestinorum*, imò ipsius *Abdominis*, verè ita per *transversum*, (Halitus, non *humidi*, sed *flatulenti*, formâ) evacuari. Ita enim certè necessum esset fieri, dum nemo nescit, quòd materiæ quæ vulgò Flatuum conciliandorum quàm maximè compotes judicantur, nequa-

quam

quam simpliciter in quibuslibet hominibus hunc effectum edant, sed vix in decimo quoque homine, imò non errabimus, si dicamus Centesimo: ubi utique secundùm hanc hypothesin, nulla alia reddi posset ratio, nisi quòd *Flatulenti* illi halitus, qui utique ab hac *materia æquali*, *physicè* æqualiter, singulis hominibus eveniant, in plerisque quidem, nempè rectè propterea sanis, *liberum illum exitum* assequantur, ut per patentes illos texturæ Intestinorum *poros*, in *abdomen*, & per hoc etiam extra totum corpus, difflentur: apud aliquos autem solùm, in quibus pori illi Intestinorum, *Spasticâ* fibrarum stricturâ ita obstipentur, in cavitate horum detenti, effectus suos distensivos exerant. Ubi verò, ne tempus amittamus, minimè placet prolixiùs designare, quomodo Sententia hujusmodi circà *proventum* maximè elasticæ talis materiæ, novas difficultates experiatur, quando è Praxi quotidiana animadvertitur, quòd mirus sæpenumerò proventus *Flatuum* sese sistat, *exinanitis* quàm maximè Intestinis; è quibus adeò nihilominus tantam Flatuum copiam & *prognasci* posse, & aliàs magis *secundùm naturam*, crassâ illâ exhalatione *evacuari* solere, aliis propemodum argumentis, quàm simplici præsuppositione stabiliendum esset, si quæ esset probandi intentio. Sed alii de his videant.

§. XVII.

Altera, nescio graviffima, an crassissima, difficultas, *mechanica* est: nempè, quomodo, dum fibræ Intestinorum, & per illas *pori* eorum *stipari* supponuntnr; quod utique secundùm simplicem conceptum *mechanicum* idem dicit atque fibrarum talem *contractionem*, quâ inter se invicem propiùs admotæ, qualiumcunque rerum transitum, per qualiacunque aliàs inter ipsas concessa *interstitia*, hâc ratione reverà restringant seu reprimant: Quomodo, inquam, stantibus his, imò verò pertinaciter perstantibus fibrarum *stricturis*, ita exquisitis, ut etiam *inter se mutuò* quàm maximè *densentur*: nihilò seciùs, & nihil usquam obstante pertinaci tali

stricta-

ſtrictura, Inteſtina, *fibræ* inquam *Inteſtinorum* ſpaſmo tali *contractæ*, non ſolùm liberè atque facilè *diſtendi* poſſint: ſed etiam in ingentem ſubinde, communiſſimè verò certè inſignem, amplitudinem. Sicuti vix homo utique eſt qui neſciat, quàm promptè æque atque familiariter *Flatus*, in hominibus de reliquo etiam reverà ad omnem ſenſum *ſanis*, abdomen ſubinde in notabilem diſtenſionem attollant, etiam ſine ullo ſenſu reliquo diſtincto. Ut nihil dicamus de illa ſic ſuppoſita *phyſica* difficultate, quænam *materia*, in qualibuscunque tandem concretis, ſupponi poſſit ita vehementer *elaſtica*, quæ *ſpaſmô affecta* Inteſtina tàm vehementer diſtendere valeat, id eſt, adversùs fibrarum Inteſtinalium tàm potentem *rigorem*, quaſi eô ipsô tantò potentius & efficacius agere, ut etiam hic ſuppoſitus ſpaſticus *rigor*, quaſi nihil eſſe videatur, adverſus illam *expanſoriam violentiam*: quod non ſolùm *facilitas*, ſed etiam præſentanea efficacia *diſtenſionis* flatulentæ, affatim teſtari poſſunt.

§. XVIII.

Sicut autem noſtra intentio nequaquam fert, varias opiniones, & quicquid in illis perplexum eſt, ſcrutari; ſed ſufficere omninò nobis poterit, ex ipſarum potiùs rerum juſtiore conſideratione, ſimpliciſſimis comparationibus atque collectionibus, deducere, quid nobis circa hæc non verum ſolùm, ſed etiam evidens quaſi videatur: Ediſſeremus igitur ita hâc methodô, ante omnia quid circà *Flatus* in genere: & deinde circà *Flatulentiam* in ſpecie, perpendendum videatur.

§. XIX.

Flatus quod attinet, non tàm ſolùm in illis reſpiciendum utique venit ad *materiam* illorum; utpote quam omninò ſcrupulosè quaſi conquirere, minimè neceſſarium, aut certè parùm impeditum exiſtat: quàm ad *habitum* omninò ipſorum Inteſtinorum ergà *diſtenſionem* ita ſubeundam. Certè enim ad ſubeundam ejusmodi *expanſionem*, non magis effica-

cia materiæ *elastica*, quàm facilitas ad *cedendum* in ipsis Intestinis, absolutâ necessitate requiritur.

§. XX.

Cùm autem *vivum* Corpus, nusquam, simplici sibi relictâ tanquam fluxâ mollitie, polleat; sed ubilibet *vividâ tensione* ita affectum sit, ut, nisi à notabili ponderis aut presionis *activitate*, minimè ita facilè cedat: Est sanè proinde etiam necessariò ita consideranda hæc talis in Intestinis etiam hoc tempore *cedendi* promptitudo, ut ita Energia distensoria *locum inveniat*, & in actum deduci posit. Ponimus itaque certè pro vero fundamento eventus *distensorii*, *Receptivitatem* hanc Intestinorum; quâ illa effectui cuicunque distensorio obsequantur: *Remissionem* nempè *Toni* usitati, notabilem. Minimè verò *æqualem* per totum ipsorum tractum, sed omninò passim planè *partialem*. (Ubi iterum obiter indicamus, insignem etiam illam difficultatem antè dictæ speculationis de *Spasmorum* Intestinalium efficacia, ad producendos *Flatus*. Cùm enim circà hos nihil magis palàm evidens existat, quàm, quod pasim exquisitisimè *particulariter*, in *portione* aliqua solùm Intestinorum cooriantur; nemo puto facilè comprehenderit, quid impediturum sit, quò minùs in uno aliquo loco producti *Flatus*, liberè perrepant ad reliquam *longitudinem* Intestinorum, & ibi nihil impeditam suppositam illam liberam *evaporationem* promptè assequantur.)

§. XXI.

Hæc inquam *Toni* usitati Intestinorum *Remissio flaccida atque torpida*, nobis utique est fundamenti locô, quâ in aliquo Intestinorum loco permisâ, facilè utique sequatur *distensio*, à materia *spumido-aërascenti* elateri utique apta. Sicut enim jam pridem D. D. Præses in *Dissertatione sua Inaugurali de Intestinis* denotavit, quòd status Intestinorum proprius, omninò secundùm naturam, non solùm sit *vacuus*; sed etiam actuali *peristalticâ stricturâ contentus*: quamvis ita placidâ, ut *distensioni*, mole, pondere, & presione, *incumbentium* rerum,

rum, imprimis autem modestè *successivæ*, obsequatur: immodestiores autem *repentinas* distensiones, etiam satis familiariter repentè contrà oppositâ fortiore actuali *constrictione*, depellat: Ita habet se revera negotium etiam in ipsis *Flatibus*; Ubi, si alicubi etiam hæc ordinaria *contentio* remittatur, adeoq; ille locus, *Flatuum* expansioni, atque inde sui ipsius etiam distensioni obnoxius fiat, tamen eô ipsô non simul & pariter etiam per totam reliquam cavitatem æqualis pateat aditus: sed potiùs tàm in *superioribus* quam *inferioribus* ab hoc loco dimensionibus, manens *consvetus* peristaltici *Toni* tenor, notam illam & quàm maximè tandem revera gravius graviùsque *spasticam*, illorum, *Flatuum* inquam, intrà unam portionem, conclusionem atque detentionem, post sese trahat.

§. XXII.

Hæc certè constitutio, uti *Flatuum* vero ortui primariam veluti portam aperit, ita simpliciter absolvit *Flatulentiæ* Genealogiam: ingentis nempè, & magis magisque etiam penitus *enormis*, *promptitudinis* ad concipiendos *Flatus*. Cùm enim *Flatulentia* in eo maximè consistat, ut in Subjectis huic obnoxiis, *plus Flatuum* à paribus materialibus occasionibus cooriatur: imò verò superior gradus hujusmodi incommodi maximè versetur in *effero* Flatuum *proventu*, à causis etiam *levioribus*: Manifestum hinc utique est, quòd culpa à *materia* deduci non possit, cùm hæc nonnisi pro sua *quantitate*, Flatulentæ elasticæ quoque *expansionis* proportionatam quantitatem efficere posset: sed longè evidentiore ratione, alia penitus subesse debeat causa, quæ, ex alio planè fundamento, plùs aut minùs *loci* potiùs, quàm *materiæ*, *Flatibus* præbere possit.

§. XXIII.

Priusquam autem ad confirmandam pluribus argumentis, imò documentis hanc sententiam, porrò progrediamur, conveniet utique aliquot etiam verba proloqui de *materiali* Flatuum indole. Sunt autem materiæ, quæ Flatus *progignunt*,

diversæ indolis; aliquæ quidem manifestiùs ad *spumidam elasticam* indolem quàm maximè pronæ; aliæ verò solùm ad *motum peristalticum* Intestinorum, seu potiùs *usum & effectum* ejus, frustrandum, habiles: aliquæ etiam ad insignem, & imprimis diuturnum, aut subinde recrudescentem, *stimulum* Intestinis velut impingendum, efficaces. Sicut autem illô sensu, de quo loqui in animo habemus, nempè *strictioris* acceptionis *materiali* causa, solæ *primi* ordinis jam dicti substantiæ, in hunc censum venire possunt; reliquæ autem utræque magis, imò potiùs absolutè, ad præcipuam illam *subjectivam* causandi rationem pertinent, nempe *Toni Intestinorum*, maximè verò *æqualitatis* ejus, turbationem: ita manebimus propterea, tanquam presfis vestigiis insistendo, in ipsa illa *materiæ* ita consideratæ denotatione.

§. XXIV.

Priusquam autem nominatim *materiam* hujusmodi enumeremus, nempè secundum varias res, in quibus quàm maximè hærere intelligitur, notamus meritò de illa, tanquam præliminariter, quòd illa quidem omninò hos effectus edat, in subjectis de reliquo etiam *dispositis*: interim nequaquam eorum ita simpliciter & absolutè compos existat, ut *indifferenter*, apud singula individua, toties quoties assumitur, unum eundemque specie effectum omninò edat & exequatur. Quod, cùm ita se habeat, magnus, inquam, numerus hominum, ab iisdem omninò *materiis*, nonnisi diversissimè afficiantur; adeò, ut, dum alii, & maximô quidem numerô, vel planè *nihil* incommodi inde persentiscunt, unus aut alter demum, maximè verò *Fœminæ*, molestos tales eventus experiantur.

§. XXV.

Quod profectò iterum minimè ita promptè evenire posset, si directè simpliciter ab ejusmodi materiis, *halitus* illi *elastici* ita emanarent. Tantò magis, cùm etiam aliæ circumstantiæ materiales in ipsis subjectis quasi magis *inhærentes*, spasticarum exacerbationum concursui quàm minimum favere

vi-

videantur. Ita enim, primò omnium loco, ad *Flatulentiam* nulli magis dispositi sunt homines, quàm tales, in quorum universo corpore, tàm parum apparatus *spastici* compàret, ut potiùs omnia ibi, ad manifestum planè sensum, ad *torporem* & *flaccidum marcorem* disposita compareant. Notissimum siquidem est, quòd nemo hominum simpliciùs atque planius ad *Flatulentiam* dispositus observetur, quàm illi, quorum corporis habitus, & temperies, ad mollitiem *Toni* præ aliis dispositus est, nempe qui sunt temperamentô sic dictô *Phlegmaticô*. Cùm ex adverso, qui vel *activiore* sunt temperie, vel quoquô modô crassiore atque *robustiore* textura, à *flatulentia* magis magisque sint alieniores.

§. XXVI.

Quamvis autem etiam aliorum Temperamentorum, & imprimis *Sangvinei* & *Cholerici* habitus, Subjecta, ad hos eosdem affectus devolvi possint; neque tamen hic eventus talibꝰ tanquam *directè*, & simpliciter ita competit, quin demùm per *violentas* quasi causas, eò devolvantur: nec sunt etiam tales *flatulentiæ*, ita facilè sinceræ atque simplices, quin potiùs ad succedentes novos graviores *connisus* citò progressum faciant, *Tormina* inquam: *Spasmos* nempe utique; sed *effectus* potiùs aut *eventus*, *flatuum*, quàm directas *causas* eorundem.

§. XXVII.

Quemadmodum autem hæc etiam totius Corporis *laxior* Constitutio, ad ortum F*latulentiæ* reverà quàm plurimùm contribuit, ita sunt etiam paris efficaciæ aliæ notiores in hoc causandi generе, res; nominatim illæ, quæ *mucidâ* qualicunque atque *tenaci* consistentiâ, intestinis *adhærescendo* molestiam facessunt; unde v. g. præter alia, in hujus consistentiæ intemperiem, sub insufficiente concoctione faciliùs transeuntia, *oleracea* crassioris succi, *pisces marinos* siccatos, *pisa* & *fabas*, [quanquam hæc etiam alterô modô flatus gignunt] notissima est hujus generis efficacia, à *pingvedine*, *ovilla* imprimis,

mis, si superbibatur *frigidus potus.* Quid, quod notissima ita utique sit efficacia nudæ insolitæ *refrigerationis*; in aliis ipsius Abdominis: in aliis etiam *Artuum*, *Manuum*, in aquam frigidam immersione, *Solearum Pedum* nudarum deambulatione super pavimento frigido, imò interdum solius etiam lecti, si corpus sub illo æqualiter caleat, vel levi quadam ventilatione, unde frigus nonnisi in parva aliqua parte corpus attingat. *Ancipitis* autem efficaciæ in hoc genere sunt utique illa talia *fermentescentia*, quæ partim habituum verè *elasticorum* copiam producunt; partim etiam *acrimoniæ* veræ concipiendæ idonea sunt, quæ etiam *stimulando* negotium Intestinis facessat & molestiam objiciat, unde quidem verè *spasticæ* quædam inæquales commotiones cooriantur: quæ tamen minimè *directè* & simpliciter, ipsæ inquam, dum fiunt aut durant, & in quo loco existunt, F*latuum* proventui ullô modô serviunt; sed unicè *secundariò, mediatè, per indirectum*, uti mox dicemus.

§. XXVIII.

Materiæ verò quæ verè *Corporali* magis atque *Physicô* actu & effectu, ipsos Flatus velut *in substantia* proferunt, sunt utique maximè omnium, quæcunque ad *fermentescendum* promptæ, eô ipsô *elasticos* halitus efformant & suppeditant. Ubi utique primatum quasi ducere *feces* cerevisiarias, vel plebi notissimum est; unde feculentæ ultimæ cerevisiæ è dolio, æque odiosi hujus effectus compotes existunt, quàm nimiùm adhuc recentes, & in medio actu turbidæ fermentationis adhuc constitutæ, **jung trübe Bier**: Quid, quod etiam farinacea *triticea*, mediantibus *fecibus* cerevisiariis in spumidiorem fermentationem exagitata, in paulò sensibilioribus, effectus hos satis imitentur: imò verò notissima propemodum sit omnibus, gemina prorsus efficacia, si *pulticulis*, tàm farinaceis, quàm è milio paratis, *haustus* largiores, imprimis *frigidi*, mox superingerantur. Neque multùm dispar est ratio *oleraceorum*, *raphanaceorum*, maximè omnium autem

fru-

fructuum horæorum. Hæc inquam omnia, materiam ipsam flatulentam promere & suppeditare, in confesso est.

§. XXIX.

Longè tamen omninò hinc adhuc abest, quantumlibet præsentibus non solùm hujusmodi *materiis*, sed omninò qualibuscunque ejusmodi *halitibus* inde procedentibus, effectus ipse actualis Flatulentiæ, nisi accedat altera illa *primaria* constitutio, *locum* dilatationi concedens. Inde enim familiarissima non solùm, sed omninò etiam notissima, sunt hujusmodi exempla, ubi à qualibet harum rerum, neque parcè quidem, sed sanè *affatim* ingestarum, præsentia, nihil quidquam hujusmodi subsequitur, sed non aliter, quàm si quidlibet minimè suspectum assumtum esset, tranquilla omnia persistant.

§. XXX.

Dilucidat autem Indolem *energiæ* ad *progignendos* Flatus, etiam illud, quòd etiam *stimulatoria* efficacia, *Flatuum* proventum inducere observetur: & quidem minimè ullô, illô ipsô tempore, verè *spastico* phœnomeno *concurrente*, sed unicè *intercedente*, imò, certô sensu, *præcedente*. Specimen hujus rei luculentissimum, exhibet maximè curiosa docimasia effectus *Venenorum*, ab Excell. *Brunnero*, Archiatro Elect. Palatino, jam pridem instituta, & à Celeberr. *Wepffero*, Socero ejus, in elegantissimo Tractatu *de Cicuta aquaticâ*, exquisitiùs commemorata. Ubi videlicet canis, ab ingesto *Arsenico*, in gravissimos vomitus actus, post illos *flaccescente* iterum ventriculo, mox amplissimas Ventriculi *distensiones flatulentas* incurrit; quæ tandem, denuò repetitis vomitoriis *spasticis* visceris hujus contractionibus, elisæ, & contortô vehementer Ventriculô facti conatus vomitorii, quoties ad *flacciditatem* Ventriculi remittebant, toties *inflationi* ejus spatiosæ locum ita concedebant, Quemadmodum autem ipsa utique simplicissima ratio dictat, quod ad *distensionem* flatulentam Intestinorum, omninò utique necessaria sit, tanquam inseparabiliter,

liter, *Remisſio Toni* eorundem ordinarii; extra quam certò nulla ſecutura ſit hujusmodi diſtenſio: Ita venit inſuper omninò etiam prudenter perpendenda, illa remittendi ſoliti *Toni* occaſio, quàm D,D. Præſes jam olim in Diſſert. de *Æſtu maris Microcoſm.* conſiderationi prudenti commendavit. Nempe, quòd ſuſceptô alicubi, maximè omnium autem in *conjugatis* partibus, *augmento* tonici motus, in conſentientibus, imò etiam ſæpe numerò disſitis, in aliis quidem *conſpiratio* ipſius augmenti *ſpaſtici* ſentiatur; in aliis autem *contrà*, manifeſta *remisſio*, etiam ordinarii atque uſitati *Toni.* Id quod non ſolùm *particularibus* numeroſisſimis exemplis ſatis luculenter notum eſt, ſed etiam *univerſalioribus*. & eminenter quidem in *augmento Pulſus Febrili*; ſub quo *Tonus* totius externi corporis *langvere* videtur. Tantò magis autem certior eſt in hoc genere, illa *Toni remisſio flaccida*, quæ poſt ſolitô fortiores *conniſus* ſuccedit, ſpatiis velut ad *reſumendam* qualemcunque *energiam Activitatis* interpoſitis: quod quidem in ipſis usque etiam ſecundùm naturam, laborioſioribus conaminibus ſuſceptis, notiſſimum eſt.

§. XXXI.

Quando itaque *moleſtæ* tales res, progreſſui libero, qui per ordinarium motum *tonicum periſtalticum* unicè agitatur atque tentatur, impares, ſed potiùs *obhæreſcentes* Inteſtinis, iisdem inſunt, alibi quidem intenſionem periſtalſeos hujus inſtituit, alibi verò etiam faſtidioſum atque tædioſum ejusdem *torporem* admittit, ut experientiæ conſonum, ita profectò rationi nusquam alienum aut conceptui conſiderato impeditum eſſe poſſe, nobis certè videtur. Tantò magis, cùm utique etiam illa, animum vel leviter advertentibus reverà evidens, unà ſubſit conſtitutio, ut *intenſioni ſpaſticæ* periſtalſeos ordinariæ, quàm plurimùm utique velificentur talia imprimis contenta, quæ non tàm ſolùm *faſtidioſæ moleſtiæ* inducendæ apta judicari poſſint, quàm certiùs *ſtimulo* etiam velut incutiendo paria. Unde nempe talia quidem, præcipuè

puè *torminosis* spasmis producendis quam plurimùm favent: quæ verò *inertia* sunt & quasi *fatua*, simul tamen *tenacem lentorem* formantia, illa inducunt, simpliciùs *torpidâ* hujusmodi remissione, nudos etiam atque simplices magis *flatús*.

§. XXXII.

Apparent autem harum rerum exempla, minimùm omnium intricata aut impedita, in ipsis usque infantibus; utpote quibus non solùm in excrementis *acrioribus biliosis* in alvo latentibus, *viridibus*, *nidore* etiam *acetoso* adversis, & anum patientium *arrodentibus*, quin *lintea* ipsa tenuiora, *aquæ stygiæ* instar, *exedentibus*, ipsis usque mulieribus notum est, quantis Flatuum intra Corpus borborygmis, extrorsum autem etiam explosionibus, non minoribus, quàm apud quoslibet adultos & quadratos homines, sese exerat, *torminibus*, & *elisoriis* etiam talibus contentionibus, intercursans *atonia* illa, quæ *distensionibus* illis, adeoque flatuum *expansionibus*, verum locum præbeat. Sicut, è diverso, etiam *lentior*, cum *vitellina* bile (vulgò dicunt wie Eyer-gehacktes) visibiliter concurrens *tenax* mucositas, *torminum* hujusmodi minùs infamis est: imò etiam *lentores* illi mucidi, quos infantes è tussi humida mucilaginosa, sursum propulsos, deglutiendo, Ventriculo & Intestinis obtrudunt, è quibus tandem etiam sub hac ipsa consistentia iterum egeruntur, quantò quidem *tenaciores* sunt, tantò certiùs & uberiùs producunt etiam ipsos *Flatus* copiosiores, non æquè verò *tormina*.

§. XXXIII.

Omnibus his ita simplicioribus circumstantiis, si etiam jungatur illa ulterior, quòd *Flatulentia* quàm maximè familiariter eveniat, oboriatur inquam, & inposterum etiam insistat, à morbo aliquo *debilitatis*; tantò magis autem *fœminis*, circà ipsum abdomen jam aliquid incommodi passis, ut antè omnia *puerperis*: imò non ita paucis harum, imprimis quibus adhuc aliquid præter naturam in ipso Utero hæret, etiam *æquali*, *continuâ* & *diuturnâ* quidem, plurium mensium, di-

 sten-

ſtenſione hujusmodi flatulentâ, *inſiſtat*: (In quo caſu, ſicut etiam in ipſo *Tympanite*, perpetuum *æqualem Spaſmum* ejusmodi, quoquô tandem modô tranſpiratorias exhalationes ſimpliciter cohibentem, concipere ſine planè arbitrariis mentis fictionibus vix licuerit) *Atonia* verò talis, ſeu *flaccidus torpor* harum partium, etiam multis aliis argumentis æque, ac exemplis ſive documentis, abundè ſit veritati ſimilis: putamus poſſe ex his rebus ita tàm à priori, quàm à poſteriori ſatis colligi, imò agnoſci, commercium illud, quod ita omninò ipſa *Flatulentia* habet, cum *Toni* Inteſtinorum relaxatione, remiſſione inquam *flaccida* atque *torpida*.

§. XXXIV.

Ex his circumſtantiis diluceſcere poſſe confidimus, quantò major, & evidentior maximè, cenſeri poſſit, ad producendum Flatuum proventum energia, tàm *defectus motus tonici*, quàm *exceſſus* ejusdem, nempe qualiscunque *ſpaſmus*; utpote cujus antipraxia adverſus *dilatationem* ſeu diſtenſionem, non ſolùm in ſe & velut abſolutè mox occurrit circumſpectæ penſitationi; ſed etiam dilatatio totius ambitus Inteſtini in tantam capacitatem, nullo præjudicio *denſationis* illius, quæ fibris ita aſſignata, autor eſſe debeat *ſtricturæ pororum*, elaſticas exhalationes aliàs emittere ſuppoſitorum, quantum nobis quidem occurrit, non minùs longè abit ab omni concipiendi facilitate.

§. XXXV.

Quantumlibet autem etiam *adventitios fermentativo-elaſticos* halitus (in potentia, nempè ad *ſubeundam* halituoſam expanſionem, aptam materiam) pro *cauſa* ſatis potente *producendorum* flatuum *materiali* recipiamus; minimè tamen hôc ipsô tanquam *abſolutè neceſſariam*, putamus, aut pariter recipimus talium rerum nudum craſſum *adventum ab extra*, ab *ingeſtis*, inquam, *feculentis*, aut è ſucculentis *dulcibus fructibus*, *melle*, *leguminibus* &c. oriundis exhalationibus. Sed agnoſcimus omninò, poſſe hujusmodi expanſivas *aqueo-*

aqueo-oleosas portiones, etiam perpetuò in Inteſtinis præſentibus materiis, tribui & adſcribi. Non ſolùm ab aſſumtorum diu reſiduis *fermenteſcentibus* reliquiis per Inteſtina obhæreſcentibus: ſed omninò etiam modò nominatis ejusmodi *ſeroſo-bilioſis* materiis. Ubi utique neminem hominum inter patientes verſatorum, ad ipſas usque mulieres patientibus famulari ſolitas, latet, quantum diverſitatis intercedat in affectibus *torminoſo-flatulentis*, 1) ſi æger planè non bibat, aut tantiſper dum *non bibit*; 2) quando *calidè* bibit: 3) quando *ἄζυμα* ſeu *nihil fermenteſcentia* bibit: 4) ſi præſentiùs *fermenteſcentia* bibit: 5) ſi inſuper *frigida*.

§. XXXVI.

Non poſſumus autem quin hôc ipsô locô breviter perſtringamus pandemiam illam inter Neotericos condemnationem quorumlibet *dulcium*, quam imprimis ſub *triplici* aut *quadruplici* imputatione complectuntur (quamvis ſub explicationibus repetitis eodem propemodum, aut ſummùm ad duos apices, recidente.) Nempè volunt *primò*, etiam jam remotiores, quòd *dulcia bileſcant*, ſeu in *bilem* mutentur; non quamlibet, ſed *acrem*, *cauſticam*, *æruginoſam*. *Secundò*, quod dulcia *aceſcant*; quod ſicut extra corpus humanum minimè vanum eſt, ita, quando etiam in corpore humano planè pari ratione ſupponitur, habent, quod diſpiciant illi recentiorum, qui bilis indolem ſimpliciter, nempè, quod ajunt, eſſentialiter, alcalicam ſupponunt; quomodo hoc inter ſe concilient, ut materia in *acidum* converti prompta, eâdem promptitudine etiam in *alcali* vertatur. Ubi certè tales non expediet frivola illa nominalis diſtinctio, ſeu potiùs ſtolida transſumtio tanquam in unum conſtans forum, variarum illarum *appellationum*, *bilis rubræ*, ſeu *Sangvinis*, bilis *flavæ*, bilis *vitellinæ*, bilis *æruginoſæ*, bilis *iſatodis*, bilis *amaræ*, bilis *acidæ*, bilis *alcalicæ*, bilis *cauſticæ*, bilis *viſcidæ*, & tandem bilis *inſipidæ & fatuæ*. Quæ nempe phantaſmata, dum aſininô labore, quod ſciens dico Præſes, in odioſis ſuis

otiis

otiis, in locos verè *communes*, & meritò *Canalicolis* publicandos, tanquam è cloacis publicis comportant, loco *historicæ* obſervationis, quod, & ubi, ita varia, & imprimis diſſona, enarrentur, hæc *omnia* & *ſingula* tanquam oracula, ex nuda allegatione, *credenda* atque *verenda* poſthàc tanquam rem judicatam ſimpliciter allegare, omni exceptione majus teſtimonium haberi volunt, imò à quo etiam nulli provocationi eſſet locus, & quidem inter homines non ſolùm, ſed etiam rationales.

§. XXXVII.

Nempè longè certè non ſolùm doctius & peritiùs, ſed etiam prudentius ſine dubio, agerent quilibet, qui de his rebus, ſi modò fieri poſſit, ſeriò loqui in animum inducunt, ſi non è cerebrinis generaliſſimis opinionibus, ſed è veritate ipsâ factorum, de indole *dulcium* agere cordi haberent: eoque ipsô etiam ab Experientiæ ſuffragio intelligerent, quæ dulcia, qualibus ita craſsô modô decantatis alterationibus verè idonea exiſtant: aut ſi hæc non intelligunt, eâ prudentiâ uterentur, ut de rebus ignotis mallent non ſolùm in genere tacere, ſed tantò magis in ſpecie alios docere velle. Ubi nempe, cum utique directum noſtrum propoſitum nequaquam ferat hiſce talibus, rebus tempus impendere, ſufficere poterit breviter monuiſſe, quòd utique ingens ſubſit differentia, inter dulcia *in* toto *genere*, quælibet inquam concreta, talem ſaporem offerentia, adeoque dulcia *quà talia*; & alio peculiari concurrente effectu inſuper potita. In cujus diſtinctionis fidem non opus eſt ullas argutias texere, ſed nudam diverſitatem *Sacchari*, imprimis *ſolidioris*, atque *mellis*, allegâſſe. Quæ eò usque certè ſufficere poteſt, ut qui hoc neſciat, è hominum cenſu expungendus ſit. Sicut enim etiam alioquin, in reliquo inquam *fermentationis* actu æque ac effectu, niſi quidem prorſus imperitis, nemini ignotum eſſe poteſt, quanta interſit diverſitas inter *Sacchari* atque *Mellis*, tàm *impetum* fermentandi, quàm proventum *acrimoniæ* & *acoris*, non ſolùm citio-

rem,

rem, sed quàm maximè etiam *fortiorem*: ita *spumositas* etiam *elastica* quàm diversô modo sese sistat in *Saccharatis*, & contrà *Mellitis*, etiam nudis quotidianis experimentis, nemini usquam notius est quam ipsi quoque plebi: quæ proinde meritò utique circumspectè cavet, usu scilicet ipsô edocta, ne *Mellis* esui temerè superbibat. Quod de *Saccharatorum* usu, non in dies, sed etiam in horas, contrariô modô se sistere, utique hodiè toti Germaniæ notum est, in familiarissimo illo, non usu, magis, quàm revera per omnes angulos quasi etiam intemperante abusu, tùm aliarum formularum *Saccharatarum*, cum *farinaceis* etiam *fermentescentibus* combinatis, tùm potus *Thée* & *Coffée*, communissimè cum multo Sacchro distemperati. Sicuti reverà etiam inanes ineptorum Speculatorum curas, securè rident citeriores *Pomerani*, quorum nempè vel paulò lautioribus, neque *Vini* neque *Cerevisiæ* haustus placet, nisi *Saccharô* ad dulcedinem non superficialem imbutus &c. Sicut etiam adversus hominum solô nomine Praxin Medicam præ se ferentium, otiosas, & passim etiam meritò sublestæ fidei, observationes, de malo effectu, adeoque cavendo usu, Saccharatorum dulcium, facilè comparari potest, imò verò debet, verè Practica Medica notoria illa observatio, quod antè nugamenta illa, & adhùc passim, in omnibus partibus Europæ, præscriptiones *Syruporum* in variis *Electuariorum*, *Linctuum*, *Juleporum*, *Morsulorum* &c. formulis, ab aliquot centum annis etiam illimitato, à proximo autem adhuc dimidio Seculo etiam liberali ad minimum, usu, nihil usquam (exceptis singularibus planè casibus & personis, si ἡ πολὺς φαντασία absit, revera rarioribus) minùs felicem cujusvis generis patientium reddiderit curationem.

§. XXXVIII.

Ne verò alienam fortè hanc animadversionem inseruisse cuiquam videamur, tuebitur nos certè efficacia hujusmodi dulcium, quæ vel ex se, vel inconditô usu, veram *Flatuum*

genesin præstant, è fructibus succulentis *horæis* mollibus, & ipso imprimis *Melle.* Ubi tamen iterum minimè absolutè & simpliciter ita sese gerunt hæc concreta, ad producendos *immediatè* Flatus; sed testantibus potiùs omnibus circumstantiis priùs producunt *acrimoniam*, Intestinis unô locô *stimulandis* aptam, à quo stimulo, uno loco constrictio, alterô locô *flaccida* talis velut enervatio, aut certè *torpida remissio* admissa, *distensioni* flatulentæ, ab *elasticis* illis sub tali *fermentatione* emergentibus halitibus, locum præbet.

§. XXXIX.

Quemadmodum autem hujus generis flatulenta energia, non simplicem, sed compositam jam indolem producit, nempè cum *torminosis* contentionibus concurrentibus conjunctam; ita est etiam, nisi quidem nos omnia fallunt, hujusmodi ipsius Eventus minimè impedita aut ullô modô difficilis ratio, quomodo, *reciprocè* à *contentione* in una parte, *torpor* in altera, & hanc insequens *distensio*: à *distensione* verò majore, aut imprimis ampliore, etiam *nova* tonica *contentio*, pro partis distentæ *restitutione* in naturalem suam *coarctationem*, sequi, & ita veram indolem *irritationis* exprimere possit; si non simpliciter *physico-mechanicè*, per *acumina* stimulorum fodicantis, tamen *physico-moraliter*, debiti *toni* vigorem denuò quasi provocantis.

§. XL.

Sunt autem reverà Flatus copiosè atque promptè cooriri adsvescentes, huic etiam *torminosæ contentioni succedenti* ita familiariter velut obnoxii, ut, ne hic etiam alius quàm rei veritati consonus conceptus locum inveniat, meritò servanda sit distinctio illa, quæ passim rectè attendentibus occurrit. Ita enim maximè utique omnium ad *torminosas* contentiones referendi sunt illi flatus, qui rebus rectè æstimatis ortum suum trahunt ab illa *alibi facta* strictura fortiore atque contendente, provocata ab acriore aliquo *stimulo*. Secundò, quæ à *lentore* tenaci, ipsum *finem motus Intestinorum* debiti frustran-

ſtrante, originem trahunt: Fluctuante nempè inter fortiores ſpaſticas ſtricturas, & interpoſitas, tanquam interquieſcendi, poſt laborioſum motum, ſcopo, ejusmodi *flaccidas* remiſſiones, diſtenſioni obſequentes.

§. XLI.

Tertia autem turba, originem ſuam debens ſimpliciori, tanquam langvido, aut *faſtidioſo torpori*, & ut vulgò loquuntur, *debilitati* Inteſtinorum, nec ipſa etiam minoris, ſed revera potiùs, lenior, majoris frequentiæ, producit Flatus citrà peculiarem aliquam *torminoſam* conſecutionem; & quidem quàm maximè faciliùs etiam *ſûrſum* aut *deorſum progredientes*; placidâ nempe reliqui *toni periſtaltici* proſecutione. Aut, ſi etiam apud aliquos diutius perſiſtant, & Abdomen ita diſtendant, tamen nulla ſequatur commotio ferocior *ſpaſtica*. Unde quidem familiaris hæc eſt conſtitutio, in ſubjectis tùm aliàs torpidioris habitus, tùm etiam ad *refrigerationis* ſenſum delicatioribus, ut ab externa moderata, ſed tamen præter ipſorum conſuetudinem, *refrigeratione*; aut *genuum*, *pedum*, imprimis *ſolearum* ſeu calcaneorum, refrigerio, reliquô corpore æqualiter calente, mox Inteſtina flatibus impleantur: daß ihnen der Leib geſchwind voller Blehungen komt/und lange alſo dohnet. Sæpè quidem cum *volutationis* ſeu progreſſus de uno loco in alium, ſenſu, & tandem etiam actuali *eruptione*: aliquando tamen etiam cum ſatis diuturna quaſi *contentâ detentione*, nihilo tamen ſecius ſine *acerbioribus ſpaſticis* conatibus.

§. XLII.

Certius tamen propemodum eſt etiam illud, quòd quantumcunque *tacita* & *inſenſilis* per initia, flatulentia, quantò magis adſueſcit, imprimis autem negligentiùs tractata, & nullâ habitâ curâ vitandarum occaſionum, etiam ſenſim magis *inſoleſcens*, magis magisque inclinet ad *torminoſas* etiam contentiones. Quod quidem tantò certiùs expectandum venit, ſi hujusmodi conſtitutioni jungatur *Alvi ſiccitas*, per deſidiam, aut *aſſumtorum* ſpiſſiorum atque ſicciorum culpam. Siquidem diutinæ

durio-

duriorum ſcybalorum detentioni, omninò utique quadrat ſuperveniens tandem acrior *niſûs tonicus*, & cum hoc deinde *alternans flaccida* illa remiſſio, huic ſuccedens *flatulentia*: imò verò, in præſentis notationis conſtitutione, etiam aliunde coorta, flatulenta *diſtenſio*, quæ, dum per *obſtipationem* illam progreſſum nullum aſſequitur, ſenſim ſenſimque majori contentioni occaſionem ita præbet.

§. XLIII.

Quemadmodum autem cum flatulentiâ, quoquô modô non ſatis liberè progrediente, acriores *contentiones tonico-ſpaſticæ* ſatis promtè conſortium ineunt; ita eſt certè peculiari cenſurâ notanda, energiâ hujusmodi minimè contemnenda, quin etiam uſu ipsô familiariore tantò juſtius cavenda, flatuum inſoleſcentium *voluntaria retentio* atque cohibitio. Talis enim ſi ſuſcipiatur in corpore magis ſanguineo, quantumcunque plethorico, imprimis autem jam aliàs ad *ſpaſticas* hujusmodi contentiones propendente, prognaſcuntur inde promptiſſimè inſignes, imò aliquando etiam pertinaciſſimæ æque atque vehementiſſimæ *torminoſæ ſpaſticæ*, imò *convulſivæ*, malæ conſecutiones. Quæ profectò nequaquam rarioribus exemplis, ſæpenumerò deludunt ſpeculabundos cauſarũ inquiſitores, ut tàm *flatuum* manifeſtò comprehenſorum, quàm *torminum* etiam talium vehementium, imò *convulſivarum contentionum*, ortum, prolixa Philoſophia, ab *acutiſſimis* cacuminibus ſalium *ſcorbuticorum* commotorum, & *dyſcraſiâ* incredibili totius Maſſæ ſanguineæ, arceſſant, eique paris opinionis medicamenta, varia atque multa, & ipſa usquè *Opiata*, deſtinent priùs, quam ullus ad *alvum* expediendam, & flatus *deorſum* revocandos, conceptus in mentem venerit: qui tamen ſi rectè in effectum deducatur, revera ſine aliis ambagibus, ſi mature fiat, etiam toti, ſin etiam ſeciùs, tamen præcipuo, malo ſubigendo ſufficere poteſt,

§. XLIV.

Quod autem hùc usque de geneſi atque proventu *Flatuum*

tuum diximus, uti circà hanc materiam sufficere posse putamus pro *Ætiologia Ortus* illorum: Ita quod concernit *Flatulentiæ*, seu *promptitudinis* atque *multitudinis* ad Flatus concipiendos, ingenium, est utique circa hanc notanda *duplex* occasio, quæ huic effectui omninò par existit. Est autem *primò*, insignis *simul & semel* introducta hujusmodi flatulenta *atonia*, quæ deinde facillimè ita adhæret patienti, ut etiam per *leves* satis causas non solicitè planè evitatas, continuatio, hujusmodi semel ita suscepti ingentis incommodi, facile perennet. *Secundò*, prognatæ etiam à sæpiùs *repetitis*, & nullâ cautione evitatis, causis, ad inducendam hanc atoniam idoneis, flatuum frequentiæ habitus denique inducatur. Qua quidem ratione, non solùm in levissimo, sed etiam quasi nullo fere flatulentiæ initio, flatuum solùm, tanquam adhuc singularium, nimium libera, imò vel prorsus aliquando immodestè *affectata*, *emissio*, seu potiùs *explosio*, præbet omninò non rarissimè originem hujusmodi *adsuetudini*, ut in posterum quàm maximè nolentibus, flatus non solùm facilè cooriantur, sed etiam magis magisque insolente atque pervicaci insistendi & velut urgendi pertinacia, sicubi fortè interdum liberæ exclusionis occasio deficiat, non sine variis gravioribus incommodis & ferocioris *pertinaciæ*, imò verò *spasticorum* successuum, periculis, qualicunque vi imposterum reprimantur.

§. XLV.

Est autem omninò adhuc unum verbum dicendum, de flatuum quadam circumstantia, quæ revera etiam non parum detrahit aliis opinionibus de proventu illorum. Est verò hæc, quòd Flatus *pauciores* atque *mitiores*, etiam sæpenumerò re ipsa iterum desinant & velut *evanescant*, citrà ullam actualis *excretionis* necessitatem. Non quòd, secundum aliquorum hominum præfigurationes, flatus, ut simpliciter & absolutè *elastici*, & *incoërcibilis* genii, sub *aërea* hujusmodi consistentia, sive in *contenta* Intestinorum rursus velut imprimantur, aut prorsus in ipsum *Sangvinem*, sub hac inquam sui con-

 sisten-

ſiſtentia *elaſtica*, diſtributi, cùm hoc per habitum Corporis paſſim ita diſtribuantur, ut non ſolùm, ſecundum aliquos, *arthritoδεων* affectuum architecti evadant, ſed etiam, juxtà plebejos aliquos, tanquam *viſibiliter*, in vaſis cum Sangvine oberrent, unde horum dicterium, es lauffe ihnen in den Adern wie Queckſilber. Sed quod reverà, etiam conceptâ temporariâ *elaſticitate*, *aqueæ* etiam tenues *vaporeſcentes* portiones, ſenſim iterum denſentur, & in corpus arctius *fluidum* coaleſcant, adeoque revera iterum *ſubſidente* diſtenſionis energiâ, *tonus* ſuus Inteſtinis placidè reſtitutus & æqualiter continuans, hoc ipſum incommodum rectè expediat. Valet autem hujusmodi ſpontenea *ſubſidentia* non æque alibi, quàm in admodum adhùc *mitibus* flatulentiæ initiis; deinde in flatibus magis adhùc per *ſuperiora* Inteſtina oberrantibus: imprimis autem *tertiò*, ſimplici ſenſui *refrigerationis externæ* ſuccedentibus. De *obfirmatâ* jam magis *adſvetudine* verò, non ſolùm promptæ atque magnæ *atoniæ*, ſed *adſvetorum* etiam liberiorum promotionum & *emiſſionum*, ancipitis prorſus eventus eſt hujusmodi retentio atque *repreſſio*, imprimis in *Colo* jam Inteſtino detentorum hujusmodi flatuum, & magna cum contentione ſuperioris & inferioris portionis *ſpaſticâ*, preſſorum: neglectô imprimis etiam externæ *concalefactionis* ſubſidio: utpote quô caſu omninò facilè periculoſæ *antipraxes* intenſionis & remiſſionis *tonicæ*, & tàm antiquæ *contentionis*, quàm novæ *diſtenſionis*, expectandæ veniunt.

§. XLVI.

Quemadmodum autem *Flatulentia*, etiam nudâ *adſvetudine* ita introduci poteſt, ita ſunt etiam certi circa *Abdomen*, & imprimis Inteſtina, Affectus, qui *flatulentiam* partim poſt ſeſe trahunt, partim *fovent*, & omninò eidem favent. Sunt autem hujusmodi, ante omnia, & velut in genere, qualescunque *hyſterico-hypochondriacæ* cotentiones, in fæminino, & *hypochondriaco-hæmorrhoidales* apparatus *tonico-ſpaſtici*, in

utroque, imprimis tamen masculino, sexu. Unde non solùm reverà omnes *hystericæ*, sed etiam omnes *hæmorrhoidarii*, infallibiliter sunt *flatulenti*. Nempe non aliunde magis, quàm ab ipsa *vagâ* illa, *toni*, tàm per *Intestina*, quàm per *Mesenterium*, variatione, quæ ad *directionem* Sangvinis ad & per peculiaria loca hujus regionis, respectat.

§. XLVII.

Sicut autem minimè citrà, nedum contrà, quotidianæ Experientiæ suffragium, diximus, quòd *Flatulentia* aliquando etiam cooriatur tanquam *repentinô* proventu, ab importunioribus caussis simul & semel ægros invadentibus, & graviùs exercentibus; unde nempè deinde *atonia* illa, quasi simul & semel cum impetu introducta, perennet: ita est tamen etiam aliqua peculiaris animadversio necessaria, circà *phænomenon* illud, quod omninò vel solum idoneum esse potest ad commonstrandam insignem diversitatem inter *Flatulentiam*, & *spasticos* Intestinorum Affectus, *torminosos*. Versatur autem in eo, quòd homines qui *Dysenteriâ* gravi, & præcipuè plus simplici vice, exerciti fuerunt, tàm alienos imposterum à flatuum proventu sese gerant, ut inde non infrequens sit ab illis audire illam loquendi formulam, *durata* sibi esse à Dysenteria Intestina, ut non facilè à quibuscunque rebus, quæ aliàs *flatus* cum *torminibus* inducere consveverunt, ampliùs incommodè afficiantur. Manifestiore videlicet inde energiâ verè *activæ* intensionis motuum *tonicorum* atque spasticorum, sub jugibus velut illis *excernendi* & *exprimendi* conatibus, adversus *atoniam*, tanquam verum directum fundamentum admittendæ *distensionis* flatulentæ. Secus tamen evenit utique illis, qui in qualibuscunque *torminosis* Affectibus, *refrigerationibus* internis & externis perperam sibi prospicientes, imò vel subsidiis necessariis formentorũ neglectis, occasionem ita præbent, ut importuniori spasticæ *exacerbationi toni* Intestinorum, utique illa ipsa *atonia* deinde vestigia legat, quæ o-

mnibus gravioribus contentionibus *tonicis*, tanquam *alternando*, ſuccedere ſvevit.

§. XLVIII.

Quantum autem utique ad admittendam, imò fovendam atque ſuſtentandam, flatulentiam, valeat energiæ *tonicæ remisſio*, non poteſt aliunde luculentius dilucеſcere, quàm è *puerperarum*, imò *Abortum* paſſarum, exemplo; imprimis autem ſi multis nothis doloribus poſt partum, (vulgò Nachwehen) exercitæ fuerint. Quando enim tales, præſertim *colligationem* debitam ſtrictiorem Abdominis inſuper habent, nimium etiam, & imprimis frigidiùs quàm expediat, bibunt, incurrunt inde familiariter ſtabilem *diſtenſionem* & *inflationem* Abdominis, à prægreſſa utique *geſtatione* fœtus diuturniore, velut enervati: quantumlibet etiam ex *Abortu*, reverà adhuc ſatis *parvi* fœtus aut conceptus, & conjuncta etiam adhuc minùs ſpatioſa Abdominis diſtenſione, coorta ita qualiſcunque ejus flatulenta diſtenſio, augeſcere ſenſim obſervetur, & increbeſcente *atoniâ*, ipſa etiam diſtenſio magis expandi.

§. XLIX.

Quemadmodum autem hæc omnia quæ hùc usque in medium protulimus, unà cum ipſa ſana ratione, ſimplici penitùs & nihil coactâ, utique teſtari poſſunt, quòd *primariæ* cauſa proventus *flatuum*, tàm *ſimplicis*, quàm *inſoleſcentis*, ſeu *flatulentiæ*, maximè ſit *relaxatio toni* ordinarii atque debiti partium continentium; qualem ſemel factam, utique facilè ad diſtenſionis effectum perducunt, tùm ordinaria ab ſubeundam halituoſam expanſionem idonea contenta fermenteſcentis indolis, tùm adventitia extrà ordinem, & tantò uberius, expanſioni elaſticæ obſequentia: ita ſupereſt, ut de horum ipſorum effectuum, flatuum inquam, ulterioribus effectibus ſeu conſecutionibus quoque aliqua proferamus. De SYMPTOMATIBUS inquam *flatulentiæ*, imprimis magis veluti directis & ordinariis; tum etiam quibusdam indirectis, & extraordinariis quidem, ſed tamen non infrequentibus, eôq;

ipſo

ipsô non rerò imponentibus minùs circumspectæ Theoriæ, ut pro simpliciùs *reciprocis*, *effectibus* potiùs quàm *eventibus*, habeantur.

§. L.

Possumus certè pro effectu flatulentiæ etiam allegare ipsam *distensionem*; ne tamen cuiquam nimis argutè insistere videamur distinctionibus causalibus, nihil contendemus cum illis, qui distensionem talem, pro ipsa potiùs flatulentia, nempe Medico-Diagnosticô sensu, sumere, satis habere voluerint. Proximus autem gradus, seu potiùs successus, distensionis, est utique verum demum consequens, effectus, imò si mavis, & certò quidem ex parte, *eventus*, flatulentæ hujus distensionis. Est autem duplex; nempe vel status, seu veluti *stasis*: vel *progressus*. Hic iterum duplex, vel *placidus* & tranquillus, vel importunior, imò aliquando vehemens.

§. LI.

Status, seu *subsistentia* flatuum, iterum, vel respectat & inclinat adhùc ad *successum*; vel deficiente penitùs hôc ipsô, servat perpetuum, quem semel occupavit, locum Hic posterior status, cùm propriè & maximè ita opponatur reliquis discriminibus, propterea aliquod dicendum de illo venit. Est nempe Affectus hujusmodi flatulentus simpliciter statarius, *Tympanites* in utroque sexu; & in fœminino seorsim, stabilis illa *inflatio* etiam totiùs Abdominis, quæ quàm maximè post *Abortus* aut *Puerperia* minùs diligenter observata, aliquando tamen etiam nihil adhùc horum expertis, sed *Mensium* incommodis, & variis *Medicationum* tentaminibus potitis, imò etiam nimiùm *frigido potui* indulgentibus, quin *verminosis*, evenire solet. His omnibus *distenditur* non solùm, sed *manet* etiam distentus, Venter: adeò quidem, ut insigniter, nedum universim, *subsidere*, non sentiatur: faciliùs autem cognoscatur *augescere*, & hoc ipsum quidem etiam ipsâ illâ modò dicta *statariâ* atque contumaci ratione.

§. LII.

Quod autem non solùm meritò, sed profectò simpliciter necessariò, notari meretur, & verum, unicum, solidum & inconcussum fundamentum totius *realis Pathologiæ* suffulcit, est etiam in hoc Affectu, verò inquam *Tympanite*, ingens, & sanè certa penitùs, *Infrequentia*. Quamvis enim neminem latere possit, quòd inflati hujusmodi Ventres inter fœminas, nihil æque rarissimum existant; (nisi quod tamen etiam tales, ad alias, tàm *puerperia*, quàm planè *abortus*, expertas, modò rectè gubernatas, comparando, nihilominùs profectò ingens etiam ita emergat *Infrequentia*, adeò ut vix *millesimæ* puerperæ hujusmodi eventus obtingat:) Est tamen utique verus *Tympanites*, in ipsis utique *Viris*, adeò insolitus, ut vix è multis millibus tandem uni evenire sentiatur. Ingente certè, & planè quidem peculiari, documento, quanta intercedat differentia, inter promptitudinem œconomiæ vitalis ad *conservandum*, imò pro circumstantiarum ratione exigente, etiam proportionatè *intendendum*, tonum partium vitalium, quàm eundem vel simpliciter *negligendum*, vel ut sibi eripiatur, & ab aliis prædominantibus energiis adventitiis subjugetur, tolerandum.

§. LIII.

Sicut autem hôc ipsô, ex hoc ita tanquam *privativo* exemplo, satis elucescere potest; quòd inquam Natura non æq; promptè obsequatur prædominio energiarum quarumcunque, propriæ suæ *tonicæ* Energiæ, tanquam positivè vim inferre machinantium, nisi ipsa potiùs ex suo latere, & tanquam ipsâ suâ spontè, tonum suum *destituere* susceperit: ita demonstrat hoc idem tantò magis *positivè*, ipsa illa ejusdem *Activitas*, quâ flatulentas *distensiones*, qualicunque suæ, ipsius inquam *tonicæ* energiæ, negligentiæ aut remissioni velut insultantes, *activè* iterum subigere atq; propulsare aggreditur. Quod nempè facit, cùm simpliciore *propulsione* & *expulsione*, aliter minùs coërcibilium flatuum: tùm acerrimis etiam subindè circà illos

con-

contentionibus tonico-ſpaſticis. Quæ nempè res, obortis utcunque flatibus, adeò oppoſitâ ratione ſeſe habet ad antè nominatam illam *tolerantiam* nudam, tanquam regnantium ita liberè, flatuum, ut, ſicut illa, quoquô intuitu, tanquam verè mirificè *rara* exiſtit; ita è contrario, tàm tempeſtiva *propulſio* flatuum, quàm contumax etiam circà illos *contentio*, inter flatulentos *familiariſſima* ſit, & ſanè ita penitus frequentiſſima, ut etiam in comparatione ad illos, quibus coorientes hi flatus etiam actu iterum tanquam tacitè *ſubſident*, longè potior numerus notoriè occurrat, qui ſive *propulſoriis*, ſive *contentioſis* ejusmodi energiis *ſpaſticis*, adverſus inſoleſcentes flatus inſurgant, quàm iterum ſimpliciter *ſubſidentium* eorundem obſequium experiantur. Ubi tamen iterum memor erit Lector, quòd non ſimpliciter de *flatibus*, qui familiariùs etiam iterum *ſubſident*, ſed de *Flatulentia*, ſermonem hìc habeamus.

§. LIV.

Nempè ſecunda utique conditio *flatuum*, eſt, ut de uno loco in alium *promoveantur*. Meliore ſucceſſu, nempe in ipſis Inteſtinis oborti, *deorſum*, ad ipſum usque è corpore *exitum*: aut *ſurſum* etiam, *ructuum* exemplô, imprimis quando in ipſo *Ventriculo* reſidet *atonia*. Liberiùs etiam provolvi, tantò melius utique eſt; quantò enim impeditius ſuccedunt, eò certius formant etiam hujus claſſis ſecundum ſubſellium, de quo ſtatim. Incommodum, quod hunc etiam liberum *progreſſum* flatuum comitatur, iterum duplex eſt; unum, quod contrà receptos mores impingere videatur, libera *emiſſio* [quanquam certè, non ex ſimplici intemperantia, ſed reverà è moleſta morbida *adſvetudine* ſic adfectis, moroſè ſuccenſere etiam iniquum ſit.] alterum, quod indulgendo etiam, ſine modeſto *moderamine*, facili & multiplici propulſioni & expulſioni tali, magis magisque inſoleſcat *adſvetudo*, & non ſolùm magis magisque ſed omninò tantò promptiùs, in *habitum* deducatur, incipiens ejusmodi *Flatulentia*.

§. LV, Cer-

§. LV.

Certè verò, uti jam plus semel monitum est, inconsiderata etiam pertinax *detentio* urgentium quàm maximè flatuum, *adsve torum* inquam, imò ad liberrimum progressum adsvefactorum, est propemodum simplicissima occasio, ad *symptoma indirectum*, sed satis tamen promptum & proclive, provocandum, nempè *conatus* & *contentiones tortiles*, ad comprimendos, aut elidendos flatus. Formatur ita *Colica flatulenta*, imò aliquando ad *convulsivas* usque vibrationes, & *syncopes* concursum, exasperanda: sicuti laboriosa & contentiosa propulsatio, etiam cum successu sursum deorsum intercursante, *Choleræ siccæ* nomine nota est.

§. LVI.

Pertinet ad hunc ipsum censum, Affectus ex hoc ordine *symptomatico* non exiguæ molestiæ, imò periculosæ aliquando contumaciæ, quem *Anadromen*, seu Excursum *ad superiora*, flatuum, nominare convenit. Luculentissimum hujus rei exemplar commemini D. Præses, Viro à multis jam annis, sub perpetuo quasi *nimio fluxu hæmorrhoidum*, & variis *artificiis*, confuso, indomitæ flatulentiæ exposito. Hic cùm aliquando *Vomitum*, cujus vix aliàs meminerat insultum, incurrisset, cum summa ferocia atque pertinacia tumultuantem, sedato iterùm hoc ipsô, hoc tamen posteà ingens incommodum incurrit, ut per quatuor Mensium spatium, immanis & insolentissimus proventus & progressus *ad superiora*, flatuum ipsum exagitaret; ut varia inde gravissima incommmoda, imprimis *cardialgica*, *vertiginosa*, *apoplexiæ* ipsius metum objicientia, incurrit: nullo interim unquam, per universum hoc temporis spatium, flatu, solitum ad *inferiora* progressum & exitum, ne sequente quidem, nedum quærente. Non autem adeo eximiè rara sunt hujus generis exempla in fœminis, quibus *hypochondriaco-hysterico-cardialgicis* pathematibus, imò horum *exacerbationibus* à flatuum *suppressione*, malè affectis, *Vomitoria* obtrusa sunt.

In quibus ſurſum deinde tendens flatuum pervicacia, non inuſitatas illas *heteroclitas* Tragœdias inſtruit, quæ vel aliis ſpecialibus phantaſmatibus, vel generaliori malitiæ. *Salium ſcorbuticorum*, & longè aliorum malignorum *vaporum*, deinde imputantur, & alieniſſimis tentaminibus magis perturbatæ, non modò non in melius, ſed etiam in deteriùs, convertuntur.

§. LVII.

Eximia verò profectò conſideratione omninò digna eſt, hæc Flatulentiæ conſtitutio; utpote quæ perpetuò propemodum, minimè ſolam & ſinceram ita hanc ἀναδρομὴν ſive *ad ſuperiora conniſum*, Flatuum comprehendit; ſed vix non inſeparabilem habet comitem etiam *contentionem* talem *contumacem*, imò ſubinde pervicaciſſimam, tanquam in medio itinere, cum ſenſatione modò *torminum* exquiſitiſſimorum, modò ſenſibiliſſimæ & rupturam quaſi minitantis, *tenſionis Colico-iliacæ*. Quæ ipſa contentio talis, ſatis familiariter ſeſe etiam exerit, in ipſo ita affectorum *Stomacho*; cum *reſpirationis* maximà coarctatione, *anguſtiis* anxiis, *vertigine* ad *Scotomian* usque increbeſcente, *tinnitu* & *ſtrepitu* aurium tanquam formidabili concurſante: donec tandem erumpentes ita *ſurſum* flatus tales, ſtatim ſenſibile levamen ſubminiſtrant. Ex adverſo verò, notiſſimi ſunt mihi Præſidi varii hujusmodi caſus, ubi ex opinionum multiplici varietate, Affectuum hujusmodi miræ rationes confictæ in medium prolatæ ſunt, & illis ſuperſtructæ nihilo minus mirabiles & rationes & formulæ; non ſolùm ſine reliquo effectu, ſed quàm maximè etiam extrà ipſam rei veritatem, dum vel modica adhibita perquirendi curâ, ſatis maturè comparebat, quod *flatus* ita *detenti*, & *ſpaſticè contenti*, neque legitimam ac uſitatam ſemitam, ad *inferiora*, ſed potiùs ad *ſuperiora*, affectare coacti, ſubeſſent; qui aliis ſimplicioribus adminiculis, ad liberiorem *progreſſum* deducti, longè promptius & nimio manifeſtius,

totam difficultatem expediebant, nempe impetum utique violentiæ, per *evocationem* flatuum mitigabant.

§. LVIII.

Ne verò justô diutiùs insistamus huic *Ætiologiæ* verè simplicis veritatis, pergimus potiùs ad illam *historico-ætiologicam* considerationem, quæ prudenti *Prognosi* omninò fundamentum præbet. Est nempè certè *Flatulentia* ejusmodi Affectus, qui, cùm *consvetudini* innitatur, minimè sive simplici materiæ *proportioni*, sive simplici uniformi & univoco effectui, quibuscunque *corporalibus* causis verè & simpliciter proportionato, innititur aut insistit; & proinde etiam *tollendi* sui spem, per nudam directam exhibitionem Medicamentorum, sive *causæ* illi suppositæ, sive *corporali* ejus efficaciæ parem, nusquam admittit. Dum videlicet *adsvetudines* non solùm *physicam proportionem corporearum* causarum variè & quamplurimùm, excedunt: sed etiam *constantem* aliquam, & uti vulgò loquuntur, tanquam *radicalem* curam, antè omnia præsentaneam per *directa corporea* subsidia, minimè admittunt: sed gratum certè habere necesse est, si solùm sensim magis magisque mitescendo, non tantùm *præsentes* impetus remittant, sed etiam *recurrendi* nimiam promptitudinem sensim deponant: Ante omnia verò perversam illam ad *aliena loca* directionem, satis maturè mutent.

§. LIX.

Quantumlibet autem ita non sine aliqua prolixitate veram causam & indolem Flatulentiæ demonstravimus; & ad simpliciores *duos* fontes, partialem *atoniam*, & ejus successivam *adsvetudinem*, reduximus; ita versatur sanè etiam THERAPIA ejus in non ita multis sive *intentionibus*, sive *inventionibus*. Antè omnia verò considerandum maximoperè venit, an Flatulentia, tanquàm simpliciùs & magis directè, in ipsis *Intestinis* sedem suam habeat: an verò *consensuali* quâdam ratione oboriatur: quod imprimis à *puerperiorum* & *abortuum* vitio-

vitiosis reliquiis, satis sæpè evenit: Neque minùs *hysterico-hypochondriaco-hæmorrhoo-nephriticis*, *longinquis* destinationibus atque moliminibus, familiarissimè accedit. Quibus nempè posterioribus casibus, frustrà penitùs auxilium *consensuali* tali flatulentiæ destinatur, *directum* atque solidum, nisi magis *primarii* illi Affectus, imò verò *conatus* atque longinquæ *destinationes* aliarum illarum *tonico-motoriarum destinationum auferantur*.

§. LX.

Quod autem quasi simpliciùs, magis *directæ* Flatulentiæ, & quidem ipsius etiam adhuc magis *simplicis*, nihil *terminosæ*, aut parùm sanè, Medicationem concernit, sunt circà illam observandæ conditiones sequentes. 1) Ut omninò *occasiones*, efficaciores & importuniores, ad provocandos flatus, ab hujusmodi subjectis prudenter evitentur; Cavendo tamen etiam, nisi in constitutione præter modùm efferata, ne etiam nimiùm meticulosa atque scrupulosa continentiæ, inconveniens illud, certè non insolitum, admittatur, ut extrà ordinem *nimia sensibilitas* & impatientia in Intestinis, ita inducatur & veluti concilietur: quæ deinde etiam è levioribus incitamentis in graviora pathemata exstimuletur, ut etiam vix effatu dignis occasionibus, ingens ita perturbatio promptè cooriatur. 2) Ut Abdomen, imprimis *in paroxysmis*, quantum potest Naturæ simillimô *calore* quàm diligentissimè foveatur. In *paroxysmis* inquam; quamlibet enim omninò *extrà* paroxysmos etiam nullatenus inutilis sit hic calor, dispiciendum tamen prudentissimè est, ne etiam hic incommodum illud *adsvescentis* nimiæ sensibilitatis producat. Quod vel propterea notandum est, quod exemplis minimè gentium raris, etiam tanquam ex improviso, & quod ajunt, gratis, per ejusmodi quasi superfluam curam Pectori & Abdomini adversus frigora prospiciendi, per scuta quasi illa usitata, lanâ aut bombace farcta, Brust-Lätze/ etiam præter necessitatem insolita talis *sensibilitas* facilè conciliatur, ut posteà sine variis, im-

primis tamen flatulentis, incommodis, iterum deponere talia subsidia non sit integrum. 3) Ut *successus alvi* debitus nusquam negligatur; cavendo tamen etiam à promiscuo usu *stimulantium* æque, atque sic dictorum *flatulentorum, Mannæ, Cassiæ, Sennæ*; non quidem quòd talia *simpliciter ex se*, nedum ex *signatura folliculorum*, flatus positivè inferant; sed quòd tale quid tunc maximè præstent, quando sine circumspectione regiminis *refrigerationes* arcentis, sine discrimine usurpantur. 4) Ut multum hìc tribuatur, maximè omnium non rectè respondente alvô, *Clysmatibus*; tàm *lenientibus*, quàm etiam moderatè ad inferiora *provocantibus*. 5) Ut prudentissimè judicentur remedia vulgò dicta *Carminativa*, an non alium quendam *heteroclitum* effectum, *unà*, imò vel potentiùs, provocare valeant. Ubi certè locum habet consideratio *triplicis* energiæ *Carminativæ* dictæ; una enim innititur simplici *opinioni* & hypothesi, quòd causa flatuum vel simpliciter *frigida*, nempe *pituitosa, tenax*, atque *lenta* existat, cui proinde *calida* debeantur, qualia recentiores Chymiastri in *oleis destillatis* inveniunt: aut agnitæ quidem *atoniæ*, sed à simplici *debilitate* temerè deductæ, *acriora* & *calidiora* talia, *nervinæ* efficaciæ nomine, destinentur. *Altera* plus ad *Symptoma*, flatuum respectu, collineat, nempe *torminosos* affectus; quos si immoderatiùs *sopire* aggrediatur, Flatulentæ *atoniæ*, nisi quidem præjudicium objicit, certè ingens subsidium nequaquam affert. *Tertii* verò ordinis, *vera* & potentia adversus flatulentiam remedia, sunt partim quæ *materias* flatuum procatarcticas contemperant; partim harum æque, ac ipsorum flatuum, *excretioni* placidæ subveniunt: partim denique sinceriorem *tonum* Intestinis conciliant & restituunt. Quæ quidem *temperatiora* imprimis sunt, & magis in *nativâ* sua constitutione, quàm varia *separatione* aut *præparatione* exhibenda; nisi in casibus *singularibus* magis, & imprimis constitutionis patientium admodum *Phlegmaticæ* dictæ, & ibi quoque *peritâ* exhibitionis moderatione. Id quod de *se-*

mi-

minibus Europæis fragrantibus, reverà quàm plurimùm valet. 6) Ut dextrè ordinetur Medicamentorum *uſus*, tàm ad *præſervationem*, quàm præſentiorem *curationem*, imò ipſam tandem *continuationem* & quaſi confirmationem ſemel ita ſuſceptæ, *in paroxyſmis*, curationis. Quamvis huic ſcopo adaptari utique debeant, non ſolùm Medicamentorum, ſed etiam *Regiminum* idoneorum, & *diæteticorum* adminiculorum, debita ſubſidia.

§. LXI.

Sicut autem *Medicamentorum*, nempè quatenus *uſitatis* à medio Seculo hyperbolis decantantur, faſtidiosâ potiùs quâdam abundantiâ laboramus, ita eſt utique optabilius, ut potiùs pauca quædam è talibus eligantur, quibus fidere liceat, quàm temerè inter incertam atque dubiam farraginem fluctuetur. In hoc verò cenſu adverſus *cruditates*, æque mucidas, atque ipſius etiam *Ventriculi* ſenſationes aliquas incommodas, laudare poſſumus, cùm *Arcanum duplicatum* rectè præparatum, tùm multò magis, *Nitrum* rectè uſurpatum: concurrente imprimis moderatâ doſi *Cinnabaris*. Quô nempe nomine pulvis à D. D. Præſide Schediaſmate *Menſ. Mart.* de uſu *Nitri polychreſto* laudatus, ſi prudenter uſurpetur, ſe ipſum etiam tantò magis laudabit; imprimis in illo caſu, ſi juxta vulgatiſſimam loquendi formulam, ſimpliciter, non tàm ſolùm *à debili*, quàm ſic dicto *frigido* Ventriculo, *atonia* pendere vulgò dicatur. Quò caſu non multas ſolùm atque diuturnas, ſed etiam pretioſas & magnô patientibus emptas, inanes, imò ſæpè etiam laborioſas Medicationes, ſimplex hic pulvis rectè uſurpatus, multoties totô, quod ajunt, ſtadiô poſt ſe relinquit.

§. LXII.

In deducendis autem ad *inferiora* flatibus, inſignis ante omnia uſus eſt *Clyſterum*; non quidem *acriorum*, ſive *ſtimulantium*, ſive *carminativorum*, è calidioribus promiſcuè, (niſi quòd in peculiaribus caſibus, *phlegmaticæ* imprimis tem-

 periei,

periei, aliquot guttæ etiam *oleorum destillatorum* in Clystere non contemnendos aliquando effectus edant) sed *Sale* quidem notabiliter conditi, *oleis* verò infusis lenientibus, in insigni copia imbuti. *Supernè*, per os, exhibita remedia, quàm parùm communiter proficiant ad flatus *deorsum* ducendos, peculiaribus exemplis inductus D. D. Præses, tantò facilius posteà passim observavit. Inter quæ facilè præcipuum locum sibi vendicat unum, jam suprà tactum, ubi familiarissimi aliàs flatus *deorsum* decedentes, imposterum ita penitùs deficiebant, nempè ab *hac via*, ut ultrà tres Menses nusquam unus illàc proruperit: benè verò & copiosissimè & constantissimè *sursum* omnes pertenderint. In quo casu usurpata *Laxantia*, quamlibet hunc sui effectum affatim exequerentur, *subsecutionem* tamen ullorum *flatuum*, vel solùm sub illo actu Catharseos, nunquam perfecerunt.

§. LXIII.

Certè enim nec etiam sola *provocatio* & velut *inclinatio* ad *inferiora*, est quod in his casibus sufficiat, nisi solùm fortè ad *paroxysmum*; pro constantiore enim effectu, opus profectò est etiam mitigatione vacillantis illiùs & fluctuantis *anomaliæ tonicæ* in Intestinis; quæ certè quibuslibet propemodum *Laxantibus*, (quidquid etiam de *Rhabarbaro* speretur) plus ad fovendos flatus idoneis, si non exasperatur, minimè profectò mitigatur. Huic autem scopo subservire etiam Europæa temperatiora *semina* & *radices*, minimè negari debet, sicut etiam *flores* nostratis Chamomillæ, non contemnendi sunt; imprimis autem hæc omnia potiùs ita *simplicia*, aut *Infusione*, aut leni *decoctione* extracta, quàm sub *oleorum destillatorum* formula, nisi quidem *peritissimâ* administratio, & profectò rarior usus, incommoda aliàs metuenda præoccupent. Inter *Radices* autem nequaquam contemni debent *Gentianæ veræ* seu *rubræ*, & *Pimpinellæ albæ* seu *umbelliferæ*. Cæterùm allegatus anteà casus, evidentissimo, inter multos mitiores, exemplo atque documento fuit, potentissimæ

etiam

etiam in hoc genere energiæ *Pilularum Balſamicarum* D. D. Præſidis; quæ etiam in univerſo flatulentiæ affectu, tàm ad Summam Negotii, quàm ad exacerbationes, (concurrente ſolùm, ſi *ſeriùs* in uſum advocentur, & graviter jam urgentibus *ſymptomatibus*, *alvus* non rectè reſpondet, *Clyſtere* idoneô,) vix ullum aliud remedium non poſt ſe relinqunt, & inſtar plurimorum aliorum ita eſſe poſſunt.

LXIV.

Quibus autem cum aliis Affectibus connexa & *conſpirans* obtingit Flatulentia, antè omnia cum HÆMORRHOIS, habent quòd curam gerant iſtorum, ut ita omnia debitô ordine fiant & ſuccedant: ubi imprimis *Menſium* & *Hæmorrhoidum* ratio habenda erit. *Herniarum* quoque inſignis occaſio ad concipiendos flatus, ſicuti ſatis nota eſt, ita indiget eò magis decente præcautione partis ſic affectæ: Sicut etiam *puerperarum* recentium Venter, & *deligatione*, & *calore* debitô rectè tractandus venit &c. Quæ tamen cùm *complicatam* ſolùm rationem habeant cùm flatibus, non eſt quod illis prolixius immoremur. Potiùs, cum noſtro propoſito abundè ſatis feciſſe confidamus, colligimus vela, & illis qui hactenùs dicta rectè ad animum demittere paratos ſeſe geſſerint, etiam ab hujusmodi procellis exoptata Halcyonia pollicemur.

TANTUM.

NOBILISSIMO & CLARISSIMO

DN. CANDIDATO,

Fautori & Amico ſuo ſingulariter colendo,

S. P. D.

HEINRICUS KOEHLER, J. U. Stud.

QVantum & Experientiæ, & Circumſpectionis, & alacrioris Judicii requiratur ad Studium Medicum, vel ex præſtantia & difficultate earum rerum,

rerum, diligenti obſervatione & rationali demum ex illa deducenda ratiocinatione ſubigendarum conſtare poteſt. Ita ſe habet naturalium rerum cognitio, de qua ſolicitus eſt Medicus, ut ſanitati humanæ non ſolùm ex illa mirificè conſulere poſſit, ſed etiam præ aliis capax fiat admirandam Summi Numinis ſapientiam, ejusq; ſingularem in recluſis tàm profundis Veritatibus Amorem, cognoſcere. Jam verò cùm certum ſit, Veritates, quò propiores Naturæ, eò altioris eſſe indaginis, præcipuam hinc laudem merentur, qui Vires ingenii & attentionem in examinandis Veritatibus tâm arduis exercent eòq; ſummô ſtudiô allaborant, ut præeuntibus & cognitis hiſce doctrinis poſſint eſſe apti ad Corporis humani Vigorem conſervandum. Cùm itaq; laudabiles CLARISSIME DOMINE CANDIDATE feceris progreſſus in eruendis tàm abditis Naturæ receſſibus, lætari omninò de Tuis Studiis Academicis feliciter peractis, Tibique de Specimine, publicâ Diſputatione edito gratulari, officii mei eſſe judico. Scio enim, quâ Animi integritate, quâ conſtantiâ mecum hactenus fueris converſatus, & quantum ego Voluptatis ex Tua præſtanti mihique propenſa Indole ceperim, neq; adeò minùs miratus ſum, quàm ſolerter & perſeveranter Animum ad Studia Tua applicueris, ut tandem ſcopum Tibi præfixum ex voto conſequereris. Sic certè facilè colligere poſſum, quâ dexterite impoſterum conſecutam Tuam eruditionem ad uſum translaturus, commodisq; humanis ſis inſerviturus. Hinc lætus ſum de honoribus, quos publicæ commendationis ergô meritò adipiſceris, & gratulabundus opto, ut Sum̃us Naturæ Arbiter Tibi, uti adhuc, ita impoſterum adſit, viresque Tuas, quas deſtinâſti humanæ incolumitati, ſemper adaugeat. Ita copia mihi fiet denuò teſtandi gaudium Animiq; conſtantiam, quam ut velis ulteriore Tuâ benevolentiâ excitare, ſum̃è contendo. Vale.

Dabam ex Muſæo Id. Octobr. MDCCVIII.

(o)